

Sept. Constantinop. post Consulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

## T I T. XLIII.

## SI MINOR, SE MAJOREM DIXERIT, VEL (MAJOR) PROBATUS FUERIT.

## De errore.

## 1. Imp. ALEXANDER A. Maximianz.

Si, cum minor annis vigintiquinque esses, tabulis, quæ sunt tuarum professionum, oblati tibi, ætatem quasi major annis vigintiquinque decepta probasti: in integrum restitutionem intra statutum legibus tempus, etiam post impletam ætatem, de omnibus intra 1 (eam) ætatem adversus te gestis, postulare apud eum, cui de ea re jurisdictio est, potes. PP. xii. Kal. April. MAX. & PATERNO COSS. 234.

## De dolo, &amp; fallacia minoris.

## 2. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC.

## Vitaliano.

Si is, qui minorem nunc se (esse) adseverat, fallaci majoris ætatis mendacio te deceperit: cum juxta statuta juris errantibus 2 non etiam fallentibus minoribus publica jura subveniant, in integrum restitui non debet. Dat. iiii. Kal. Decemb. DIOCLET. II. & MAXIMIANO AA. COSS. 293.

## De dolo minoris; de injuria, &amp; circumventionem adversarii; de jurejurando.

## 3. Iidem AA. &amp; CC. Theodoræ.

Si alterius circumveniendi causa, minor ætate majorem te probare aspectu 3 laboraveris: cum malitia suppleat ætatem, restitutionis auxilium tam sacris Constitutionibus, quam Rescriptorum auctoritate denegari statutum est. Quod si per injuriam, vel circumventionem adversarii hoc fuerit factum; durabit beneficium, quo minoribus causa cognita subveniri solet. Aditus itaque Præses provinciæ, probationis ætatis examinata causa; si tuum dolum non repererit intercessisse, ac te minorem (tunc) fuisse probaveris: causa cognita in integrum restitui providebit. Si tamen in instrumento, per sacramenti religionem 4, majorem te esse adseverasti, non ignorare debes, exclusum tibi esse in integrum restitutionis beneficium: nisi palam & evidenter ex instrumentorum probatione, non per testium depositiones, te fuisse minorem ostenderit. Hujusmodi autem sacramento corporaliter præstito nullum tibi superesse auxilium, perspicui juris est. Dat. xiiii. Kalend. Octob. Sirmii, CC. COSS. 294.

## De errore.

## 4. Iidem AA. &amp; CC. Labio.

Cum circa probandum annorum numerum, apud Rectorem provinciæ erratum esse proponas, & in hujusmodi causis etiam filiisfamilias minoribus subveniri admissum sit: ea, quæ in preces contulisti, Præsidem provinciæ examinare convenit, qui, si ætatem tua majorem annis falsa 5 opinione te præsumisse ex probationum luce cognoverit, erga minoris personam fidem veri sequetur. Dat. vi. Idus Decemb. CC. COSS. 294.

## T I T. XLIV.

## SI SÆPIUS IN INTEGRUM RESTITUTIO POSTULETUR.

## De re judicata.

## 1. Imp. SEVERUS, &amp; ANTONINUS AA. Romano, &amp; aliis.

(Si) post sententiam Proconsulis contra vos latam desiderastis in integrum restitui, nec obtinistis: frustra rursus, ut ea quaestio (in integrum restitutionis) agitur, desideratis; appellare enim debuistis, si vobis sententia displicebat: Sed si adhuc in ea ætate estis, cui subveniri solet, appellandi jus 1 vobis restituimus. PP. v. Kal. August. CHILONE, & LIBONE COSS. 205.

## De novis causis.

## 2. ALEXANDER A. Justo militi.

Quamquam curatores pupillæ victi sunt, cum in integrum restitui pupillam desiderabant: cum tamen novis defensionibus causam instrui posse dicas: adeant curatores uxoris tuæ judicem, & petant, ut causas in integrum restitutionis agant. PP. v. Kal. Aug. ALEXAND. A. II. & MARCELLO COSS. 227.

TIT. XLIII. (1. l. 5. supr. de restit. in integr. (2. l. 37. ff. de minor. l. 2. §. 3. ff. ad SC. Vellej. l. 110. ff. de R. J. (3. l. 32. ff. de minor. (4. v. l. 1. supr. si advers. vendit. l. 9. §. 4. ff. de jurejur. (5. l. 7. supr. de restit. in integr.

TIT. XLIV. (1. v. supr. si adv. rem judic. l. 7. §. 11. ff. de minor.

TOM. II,

## 3. Imp. PHILIPPUS A. Anitæ.

In una eademque causa iteratum in integrum restitutionis auxilium non jure, (nisi novæ 2 defensiones prætendantur) posci, sæpe rescriptum est. PP. 2. Kal. Jul. PEREGRINO, & ÆMIL. COSS. 245.

## T I T. XLV.

## DE HIS, QUI VENIAM ÆTATIS IMPETRAVERUNT. I

## De restitutione deneganda.

## 1. Imp. AURELIANUS A. Agathocli.

Eos, qui veniam ætatis (a principali Clementia) impetraverunt, etiam si minus idonee rem suam administrare videantur, in integrum restitutionis auxilium impetrare non posse, manifestissimum est: ne hi, qui cum eis contrahunt, principali auctoritate circumscripti esse videantur. PP. Kal. Jul. AURELIANO A. & CAPITOLINO COSS. 275.

## De venia ætatis concedenda.

## 2. Imp. CONSTANT. A. ad Verinum PP.

Omnes adolescentes, qui honestate morum præditi paternam frugem, vel avorum patrimonia gubernare cupiunt, & super hoc imperiali auxilio indigere cœperint, ita demum ætatis veniam impetrare audeant, cum vicesimi anni metas impleverint 2: ita ut post impetratam ætatis veniam iidem ipsi per se principale beneficium allegantes, non solum per scripturam 3 annorum numerum probent, sed etiam testibus idoneis advocatis, morum suorum instituta, probitatemque animi, & testimonium vitæ honestioris edoceant. §. 1. Feminas quoque, quas morum honestas, mentisque solertia commendat, cum octavum, & decimum annum egressæ fuerint, veniam ætatis impetrare sancimus. Sed eas, propter pudorem 4 ac verecundiam feminarum, cœtui publico demonstrari non cogimus, sed percepta ætatis venia, annos tantum (ætatis) probari (posse) testibus (quinque) vel instrumentis misso procuratore concedimus: ut ipsæ etiam in omnibus negotiis tale jus habeant, quale & mares habere præscripsimus: ita tamen, ut prædia sine decreto non alienent. §. 2. Sed Senatores quidem Clarissimi viri in hac Regia urbe commorantes apud Sublimitatem tuam: ceteri vero apud Prætores, in provinciis autem omnes apud earum Rectores de suis moribus, & honestate perdoceant. §. 3. Hi vero, qui contra memoratam dispositionem veniam ætatis a Principali Clementia impetraverint, sciant eam nullas vires obtinere. Dat. iiii. Kal. Jul. Roma CRISPO II. & CONSTANTINO Cæs. II. COSS. 321.

## De rerum obligatione, vel alienatione.

## 3. JUSTINIANUS A. Mennæ PP.

Eos, qui veniam ætatis a Principali Clementia 5 impetraverunt, vel impetraverint, non solum alienationem, sed etiam hypothecam minime posse sine decreti interpositione rerum suarum immobilium facere jubemus, in quarum alienatione, vel hypotheca decretum 6 illis necessarium est, qui necdum veniam ætatis meruerunt: ut similis sit in ea parte conditio minorum omnium, sive petita sit, sive non, ætatis venia. Dat. viii. Id. April. DECIO V. C. COSS. 529.

## Quæ sit legitima, vel perfecta ætas.

## 4. Idem A. ad Senatum.

Si quis aliquid dari, vel fieri voluerit, & legitima ætatis fecerit mentionem, vel (si se) absolute dixerit perfecta 7 ætatis: illam tantummodo ætatem intellectam esse videri volumus, quæ & vigintiquinque annorum curriculum completur, non quæ ab Imperiali beneficio suppletur: & præcipue quidem in substitutionibus, vel restitutionibus hoc intelligi sancimus: nihilominus tamen & in aliis: nisi specialiter quisquam addiderit, ex venia ætatis velle aliquid procedere. Dat. ix. Kal. April. LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

## T I T. XLVI.

## SI MAJOR FACTUS RATUM HABUERIT. I

## 1. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC. Eutychiano.

Si inter minores quinque & viginti annis, vel scriptura interposita, vel sine scriptura 2 facta sine dolo divisio est, eamque post legi-

(2. v. l. 2. supr. h. t.

TIT. XLV. (1. Adde Nov. Leon. 28. l. 3. pr. ff. de minor. (2. Abrog. d. Nov. Leon. 28. (3. l. 1. supr. si minor. se major. l. 13. ff. de probat. (4. Adde l. ult. infr. de recept. arbitr. (5. v. d. Nov. Leon. 28. in fin. (6. v. infr. de præd. & al. reb. minor. (7. l. 50. in fin. ff. de legat. 3. l. ult. ff. de condit. & demonstr.

TIT. XLVI. (1. Adde infr. Lib. 5. tit. 74. (2. v. l. 17. l. 21. supr. de pact. l. 9. infr. de fide instr.

simam ætatem ratam fecerint: manere integram debere 3 con-  
venit. S. VIII. Kal. Maji, AA. & COSS. 293.

2. Idem AA. & CC. Sortiri.

**Q**ui post vigesimum quintum annum ætatis ea, quæ in minore  
ætate gesta sunt, rata 4 habuerint: frustra rescissionem co-  
mum postulant. Dat. Id. Febr. CC. COSS. 294.

**T I T. XLVII.**

**UBI, ET APUD QUEM COGNITIO IN INTEGRUM  
RESTITUTIONIS AGITANDA SIT. I**

*De sententia Procuratoris Caesaris.*

1. Imp. ANTONINUS A. Severo.

**S**i quid a Procuratore meo iudicatum est, id per in integrum resti-  
tutionem Præsidis sententia non potest rescindi: Princeps enim  
solus 2 contra sententiam Procuratorum suorum in integrum resti-  
tuere solet. PP. VI. Kal. Decembr. LÆTO, & CEREBALI COSS. 216.

*De repetitione dati ex causa transactionis.*

2. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA.  
& CC. Aquilinæ.

**Q**uoniam ea, quæ in transactione dari placuerat, te tradidisse  
proponis: consequens est, si de his repetendis per (in integ-  
rum) restitutionem, vel quamcumque aliam causam putaveris  
agendum: ejus adire te provinciæ Præsidem, in qua domicilium  
habent, quos convenis.

*In recentioribus codicibus hæc adjiciuntur: Dat. III. Kal. Sept.  
Cap. post tertium Consulatum LAMPADII, & ORESTIS 531. quæ  
tamen rejicienda omnino sunt, non solum quod in vetustis codici-  
bus desiderantur, sed etiam quod non convenient Diocletiani, &  
Maximiani temporibus.*

*De his, qui propriam, vel mandatam jurisdictionem  
habent, & de arbitris.*

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni PP.

**C**um scimus esse dubitatum de restitutionibus, quæ in integrum  
postulantur, sive tantummodo apud judicem, cui aliqua juris-  
dictio est, examinari eas oportet, sive apud pedaneos judices, sive  
eas minores viginti quinque annis petierunt, sive majores, secun-  
dum quod anterioribus sanctionibus, vel veteris Juris, vel nostris  
declaratum est: sancimus non solum apud judices pro tribunali hu-  
jusmodi causæ cognitionem proponi, sed etiam apud eos judices,  
quos Augustalis dederit Majestas, aut nostræ Reipub. administra-  
tores, vel in hac Regia Urbe, vel in provinciis: ut videatur ipse,  
qui judicem destinaverit, utpote pro tribunali cognoscens, in in-  
tegrum dare restitutionem, & causas ejus examinare: sic etenim  
non difficilis erit causarum examinatio. † Sed ne quis ita effuse  
intellectum nostræ Constitutionis audeat esse trahendum, ut etiam  
apud compromissarios 3 judices, vel arbitros ex communi senten-  
tia electos, vel apud eos, qui dantur a judicibus, qui propriam  
jurisdictionem non habent, sed tantummodo judicandi facultatem,  
putet hujusmodi extendi sanctionem: hos tantum generaliter volu-  
mus tales causas dirimere, qui vel certæ administrationi, cui &  
jurisdictio adhæret, præpositi sunt, vel ab his fuerint dati: & multo  
magis si a nostra Majestate delegata eis sit causarum audientia.  
† Sed ne quid penitus dubitandum relinquatur, & hoc addendum  
esse censemus, ut his tantum, quos supra enumeravimus, liceat de  
in integrum restitutione disceptare, sive hoc specialiter eis fue-  
rit mandatum; (quod & Veteribus non fuerat incognitum) vel si  
generaliter dati sunt judices, vel in aliis speciebus inciderit qua-  
dam quæstio restitutionis. Dat. III. Kal. Septemb. post consulat.  
LAMPAD. & ORESTIS VV. CC. 531.

**T I T. XLVIII.**

**DE REPUTATIONIBUS, QUÆ FIUNT IN JUDICIO  
IN INTEGRUM RESTITUTIONIS.**

*Restitutio concessa minori omnia in pristinum statum  
restituit, tam pro, quam contra.*

1. Imp. ANTONINUS A. Tatiano.

**Q**ui restituitur in integrum, sicut in damno 1 morari non de-  
bet, ita nec in lucro 2: & ideo quicquid ad eum pervenit,

(3. Abrog. l. 3. §. 2. ff. de minor. (4. l. 1. supr. h. t. d. l. 3. §. 1. l. 30. ff. de  
minor.

TIT. XLVII. (1. Adde l. 2. §. 2. supr. de his, qui ven. atat. (2. v.  
l. 3. supr. si adv. rem. judic. (3. Confer. l. 34. in fin. ff. de minor.

TIT. XLVIII. (1. l. 24. §. 4. supr. de minor. (2. Immo vide l.  
7. §. 8. ff. d. t.

vel ex emptione, vel ex venditione, vel ex alio contractu: hoc  
debet restituere. §. 1. Sed & si intercessor 3 minor viginti quin-  
que annis intetvenerit, in veterem debitorem debet restitui actio.  
§. 2. Sed & cum minor adiit hereditatem 4, & restituitur:  
mox quicquid ad eum ex hereditate pervenit, debet præstare:  
verum & si quid dolo 5 ejus factum est, hoc cum præstare con-  
venit. *Sine die: & consule.*

**T I T. XLIX.**

**ETIAM PER PROCURATOREM 1 CAUSAM IN INTEGRUM  
RESTITUTIONIS AGI POSSE.**

1. Imp. ALEX. A. Licinio.

**C**ausam in integrum restitutionis, si qua competit, etiam per  
procuratorem agi posse placet. Dat. XIII. Kal. Oct. POM-  
PEJANO, & PELIGNO COSS. 232.

**T I T. L.**

**IN INTEGRUM RESTITUTIONE POSTULATA,  
NE QUID NOVI 1 FIAT.**

1. Imp. GORDIAN. A. Secundino militi.

**P**ostulata in integrum restitutione, omnia in suo statu esse debe-  
re, donec res finiatur, perspicui juris est; idque curabit is,  
ad cujus partes ea res pertinet. PP. XII. Kal. Jul. GORDIANO,  
A. & AVIOLA COSS. 240.

**T I T. LI.**

**DE RESTITUTIONIBUS MILITUM 1, ET EORUM, QUI  
REIPUB. CAUSA ABSUNT.**

*De bonorum possessione.*

1. Imp. SEVERUS, & ANTONINUS AA.  
Chiloni.

**S**i Valerianus Centurio cohortis duodecimæ Alpinorum ante vita  
decessit, quam (bonorum) possessionem acciperet: heres ejus  
ex persona defuncti restitutionis auxilium intra 2 annum utilem  
ita recte implorabit, si Valerianus post exactos dies, quibus bo-  
norum possessio defertur, in militia defunctus est. PP. Kal. Nov.  
LATERANO, & RUFINO COSS. 198.

*De bonorum deminutione, de actione amissa.*

2. Imp. ALEXAND. A. Petronio Centurioni.

**S**i quid de bonis eorum, qui Reipubl. 3 causa absentes sunt,  
deminutum est, actione ve, qua competente eis, aliquis libe-  
ratus fuit: in integrum restituito perpetua jurisdictione intra an-  
num 4 utilem permittitur. PP. XIII. Kal. Nov. ALEX. A. 11. &  
MARCELLO COSS. 227.

*De usucapione.*

3. Idem A. Flavio Aristodemo militi.

**Q**uod tempore 5 militia de bonis alicujus possessum ab aliquo  
est, postquam is Reipubl. causa abesse desit, intra annum  
utilem 6, amota præscriptione temporis mediæ possessionem, vin-  
dicare permissum est: ultra autem jus possessoris lacerare contra  
eum ininitatum non oportet. PP. Non. Jan. MAXIMO 11. &  
ELIANO COSS. 224.

*De possessione, & distractione bonorum.*

4. Imp. GORD. A. Maffriano.

**I**gnorare non debes, eorum, qui Reipubl. causa sine dolo malo  
absunt, si absentes boni viri arbitrato non defenduntur, bona  
tantum 7 possideri: venditionem autem in id tempus differri, quo  
Reipubl. causa abesse desierint. Dat. XII. Kal. Jan. GORDIANO  
A. & AVIOLA COSS. 240.

*De quadriennii præscriptione.*

5. Idem A. Secundino militi.

**N**eque Reipublicæ causa absentibus, neque aliis majoribus ad  
titulum in integrum restitutionis pertinentibus, præscriptionem  
quadriennii 8 post factam a fisco venditionem obesse (posse) ma-  
nifestum est. PP. VI. Id. Maji, SABINO, & VENUSTO COSS. 241.

(3. l. 48. pr. l. ult. ff. d. t. (4. Vide enim supr. si ab hered. (5. Arg. l. 2.  
supr. si minor. se major.

TIT. XLIX. (1. l. 25. §. 1. ff. de minor.

TIT. L. (1. Adde l. 3. infr. de appell.

TIT. LI. (1. Adde Lib. 4. ff. tit. 6. (2. v. l. ult. infr. de temp. in integr.  
restituit. (3. l. 1. ff. ex quib. caus. maj. (4. d. l. ult. (5. l. 40. ff. ex quib. caus.  
(6. d. l. ult. infr. de temp. in integr. restit. (7. l. 6. §. 1. ff. quib. ex caus. in  
posse. l. ult. in fin. ff. de reb. auctorit. jud. poss. (8. v. §. ult. Inst. de usucap.

*De distractione hypothecæ.*

6. Imp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Germano Centurioni.

Si, cum militaribus laboribus operam dares, creditoris tui heredes possessiones sibi obligatas distraxerunt: poteris, adite Præfide Provinciæ, in integrum restitutionem impetrare, retractataque venditione, recipies possessiones, oblato ante (debito, vel) pretio, si minus debito fuisset. PP. IV. Non. Apr. VALERIANO, & GALLIENO AA. COSS. 255.

*De gestis a patre.*

7. Imp. DIOCL. & MAXIM. AA. & CC. Marinæ.

(Ea,) quæ a patre geruntur, non decet pro disciplina militari a filiis ad irritum revocari: præsertim, cum nec patrem tuum in rebus humanis agentem affirmes conquestum fuisse super hujusmodi contractu. Dat. Non. Febr. CC. COSS. 294.

*De tempore expeditionis aliæ.*

8. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ PP.

Sancimus, his solis, qui in expeditionibus 10 occupati sunt, ea tantummodo tempora, quæ in eadem expeditione percurrunt, tam in exceptionibus declinandis, quam in petendis in integrum restitutionibus, eis opitulari illis temporibus, per quæ citra expeditionis necessitatem in aliis locis, vel in suis ædibus degunt, minime eos ad vindicanda memorata privilegia adjuvantibus. Dat. VI. Id. April. Constantinop. DECIO V. C. COS. 529.

## TIT. LII.

## DE UXORIBUS MILITUM, ET EORUM, QUI REIPUBLICÆ CAUSA ABSUNT.

1. Imp. ALEXAND. A. Secundinæ.

Temporalibus actionibus exclusis mulieribus, quæ cum maritis Reipublicæ causa absentibus peregrinatæ sunt, ad exemplum militum subveniri solere, non est ignotum. PP. III. Non. Dec. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO COSS. 227.

2. Imp. DIOCLET, & MAXIM. AA. & CC.

## Quintiliano.

Ei, quæ diutissime fuit cum marito, qui militiæ operam dabat, non officit præscriptio longi temporis: sed quia hujusmodi diutina absentia commenta callide adhibita, atque composita obesse omnino non debent: decernimus, ut si talis mulier domum ad se pertinere monstraverit, quæ in absentia ejus vendita est, refuso pretio 1, quod revera solutum est, eandem recipiat. Dat. VII. Kal. Dec. ipsi AA. & COSS. 293.

## TIT. LIII.

## DE TEMPORIBUS IN INTEGRUM RESTITUTIONIS, TAM MINORUM ET ALIARUM PERSONARUM, QUÆ RESTITUI POSSUNT, QUAM ETIAM HEREDUM EORUM.

*De militibus, & eorum successoribus.*

1. Imp. GORD. A. Pudenti militi.

In his, in quibus læsus es, cum minor annis viginti quinque effes; toto militaris expeditionis tempore auxilium restitutionis postulare potes: tempus etenim post impletam minorem ætatem præstitutum, ex die missionis juxta rationem juris computari debet. PP. III. Non. Octobr. PIO & PONTIANO COSS. 239.

2. Idem A. Secundino militi.

Si intra legitimam ætatem, vel ea impleta nondum exacto tempore præstituto, pater tuus in fata concessit, tuque ei heres exististi, & intra viginti quinque annos, vel post eam ætatem intra id tempus, quod ad in integrum restitutionem defuncto supererat, nomen militiæ dedisti: Præfides provinciæ, causa cognita, per in integrum restitutionem ex persona defuncti subveniri tibi providebit. Dat. XI. Kal. Nov. PIO & PONTIANO COSS. 239.

3. Idem A. Mutiano militi.

Si intra annos, quibus in integrum restitutionis auxilium indulgetur, constitutus es, vel eo tempore nomen militiæ dedisti, & expeditione occupatus es: continuatum 2 beneficium restitutionis, per usucapionem, licet ante militiam suppleta sit, non pa-

titur te dispendio rei familiaris affigi. Dat. Kal. Novembr. PIO, & PONTIANO COSS. 239.

4. Imp. DIOCL. & MAXIM. AA. & CC.

## Dionysio.

Ex persona fratrum, si tibi eorum quæ sita est successio, potes, contra quem supplicas: agere non ignorans, quod si minores viginti quinque annis militaverint fratres tui, atque in militia diem functi sunt: in integrum restitutionis tempus eis non cesserit, sed omne ad successorem transmiserint. S. VIII. Kal. Jan. Philippopoli, CC. COSS. 294.

*De venia ætatis impetrata. 1. Si minor minori, 2. majorive, 3. aut major minori successerit.*

5. Imp. CONSTANT. A. ad Bassum P. P.

Ea, quæ de temporibus in integrum restitutionum legibus cautæ sunt, custodiri convenit: & si forte quis beneficio nostro ætatis 3 veniam fuerit consequutus: (ex eo die), quo indulgentia nostra in judicio competentis fuerit intimata, eique administratio rei propriæ permessa, ad persequendas in integrum restitutionum finiendasque causas jure tempus habeat præstitutum: (ita tamen, ut nunquam minoribus viginti quinque annis constitutis, de his, quæ ante impetratam veniam ætatis gesserunt, auxilium in integrum restitutionis denegetur.) §. 1. Si quando sane in minoris jura successerit 4 minor: minime prohibeatur, cum quintum, & viceßimum suæ ætatis annum transierit, in integrum restitutionis beneficio uti tempore illibato. §. 2. Quod si majoris fuerit minor jura nactus; quantum ad eas pertinet causas, quas ex persona majoris fuerit consecutus: tantum temporis ad exponendas in integrum restitutiones, decidendasque causas accipere debet, quantum defuncto, cujus heres, aut bonorum possessor docebitur existisse, reliquum fuerat. §. 3. Cum vero major successionem fuerit adeptus minoris: si quidem civili jure ab intestato, vel ex testamento successerit, mox cum fuerit adita hereditas: si vero honorario jure, ex quo bonorum possessio fuerit accepta, examinando (ac terminando) in integrum restitutionis negotio, solida sine ulla diminutione tempora suppulentur. Dat. Non. Octobr. Romæ, CONSTANTINO A. & LICINIO CÆS. utrisque II. COSS. 312.

*De dote cauta non numerata.*

In AUTHEN. De temp. non solut. pecuniæ super dote.

§. generaliter coll. 8. tit. 1. al. col. 7. tit. 10.

seu Nov. 100. cap. 2.

Si minor viginti quinque annis de dote cauta non numerata statim non queritur; restituitur eatenus, ut non transcendat a tempore nuptiarum duodecimum annum. Eo quoque mortuo intra prædictum tempus, indulgetur annus heredi ejus. Sed si heres sit minor majoris seu minoris defuncti, quinque annorum gaudeat spatio, non expectato exitu ætatis ejus.

*De dilationibus.*

6. Idem A. ad Julianum Præfectum Urbi.

Petendæ in integrum restitutionis temporibus observatis, si dilatio ab actore petatur, quæ intra metas restitutionis valet arctari: eandem quocumque flagitante, causis cognitis tribui oportebit. Sin vero ejusmodi postulantur curricula, quæ intra spatium receptum angustari nequeunt: (quippe si in confinio legitimi temporis petantur, & ejus terminos prorogabunt) dilationem petitori denegari conveniet: in ejus enim arbitrio; fuerat, tunc inferre litigium, cum petitiæ dilationis mora superstiti spatio posset includi. §. 1. Quod si defensio rei 6 dilationis suffragium postulaverit, eandem asserta causa citra obstaculum temporis deferri sancimus: quia nequaquam steterat in ipsius potestate, quando litigio pulsaretur. Dari igitur debet, etsi impetrata dimensio sese ultra temporis definitionem proferat: Qua dilatione, si a reo impetratur, etiam actor in requirendis probationibus uti minime prohibebitur. Dat. XIV. Kal. Aug. Romæ, CONSTANT. CÆS. V. & MAX. COSS. 327.

*De anno utili in quadriennium continuum transfuso. 1. Quæ tempora excipiuntur in restitutionibus.*

7. Imp. JUSTIN. A. Joanni P. P.

Supervacuum differentiam utilis anni in integrum restitutionis a nostra Republica separantes, sancimus, & in antiqua Roma, & in hac alma urbe, & in Italia, & in aliis provinciis quadriennium 7 continuum tantummodo numerari ex die, ex quo annus utilis currebat, & id tempus totius loci esse commune: Ex differen-

(9. v. l. 4. supr. h. z. (10. Adde l. ult. inf. de testam. mil. l. 15. §. 2. ff. ex quib. caus. maj.)

TIT. LII. (1. l. pr. supr. de repul. l. 6. supr. tit. prox.)

TIT. LIII. (1. l. 5. §. 1. 2. 3. infr. h. tit. (2. v. l. 1. supr. cod.)

(3. v. supr. de his qui ven. ætat. juncta Nov. Leon. 28. (4. l. 19. ff. de minor. l. ult. in fin. infr. si maj. fact. alienat. fact. sine decret. (5. l. 42. §. ult. ff. de R. J. (6. v. l. 125. ff. d. t. (7. l. ult. infr. de repud. vel abstin. hered.)

tia enim locorum aliquod induci discrimen, satis nobis absurdum visum est. Quod non solum in minorum restitutionibus, (quibus utilis annus incipit currere, ex quo vicesimi sexti anni dies illuxerit) sed etiam in majorum hoc idem adhiberi sancimus: ut & hic pro utili anno memorata continuatio temporis observetur ad interponendam contestationem, finiendamque litem. §. 1. Et quemadmodum omnis minor ætas excipitur in minorum restitutionibus; ita & in majorum, tempus, in quo Reip. causa abfuerint, vel aliis legitimis causis, quæ veteribus legibus enumeratæ sunt, fuerint occupati, omne excipitur: & non absimilis sit in hac parte minorum, & majorum restitutio. Dat. Kal. Sept. Constantinop. post Consulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. & CC. COSS. 531.

## T I T. LIV.

## QUIBUS EX CAUSIS MAJORES I IN INTEGRUM RESTITUANTUR.

## De officio legationis.

## 1. Imp. ANTONIN. A. Æmiliano.

Si propter officium Legationis 2 ad me bona fide factæ, absens, & indefensus condemnatus es: instaurationem judicii jure desideras, ut ex integro defensionibus tuis utaris: nam eos quoque, qui legationis officio funguntur 3, in eo privilegio esse, in quo sunt, qui Reipubl. causa absunt, receptum est. P. P. v. Non. Mart. DUOBUS ASPRIS. COSS. 213.

## De Custodia militari.

## 2. Idem A Dyonisio.

Si idcirco apud arbitrum præsentiam tui facere non potuisti, quod sub custodia militari 4 jussu Præsidis detinebaris, idque in veritate esse Præsidis Provinciæ probaveris 5: accipis causæ instaurationem. P. P. xiiii. Kal. Octob. LETO, & CEREBALI COSS. 216.

## Causa cognita majoribus subveniri.

## 3. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC.

## Proculo decurioni.

In contractibus 6, qui bonæ fidei sunt, etiam majoribus officio judicis causa cognita publica jura subveniunt. Dat. Non. Aug. DIOCLET. & ARISTOBOLO COSS. 285.

## De Republica.

## 4. Idem AA. Prisciano.

Respublica 7 minorum jure uti solet: ideoque auxilium 8 restitutionis implorare potest. Dat. 11. Id. Novemb. DIOCLET. & ARISTOB. COSS. 285.

## De reverso ab hostibus.

## 5. Idem AA. Liciniano.

Si ab hostibus 9 cum patre, ac matre captus, postea his ibi defunctis, legis Cornelie beneficio reversus, successiones eorum quaeristi: exemplo utilis actionis, quæ in integrum restituta datur, cum exceptionis annuæ (quæ huic objici solet) objectu res vindicare non prohiberis. Dat. xvi. Kal. Maji, CC. COSS. 294.

## T I T. LV.

## DE I ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA.

Facta alienatione ratione mutandi judicii, possessor potest conveniri rei vindicatione, quam possessio parit. Bald.

## 1. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC. Attalo.

Cum in 2 rem actionem possessio pariat adversario, alienatione etiam judicii mutandi causa celebrata, in integrum restitutio Edicto perpetuo permittatur: intelligis, si rem, ne secum ageretur, qui possidebat, venumdedit, & emtori tradidit: quem elegeris, conveniendi tibi tributam esse jure facultatem. Dat. vi. Kal. Decemb. Viminacii, CC. COSS. 294.

TIT. LIV. (1. Lib. 14. D. 6. (2. l. 8. ff. h. t. l. 14. ff. de legation. (3. Immo vide l. 26. §. 9. ff. h. t. (4. l. 1. l. 9. l. 23. ff. eod. l. 4. §. 1. in fin. ff. si quis caut. in jud. sist. (5. l. 19. §. 1. ff. de probat. (6. l. 3. infr. commun. utr. jud. l. 2. infr. de rescind. vend. arg. l. 7. ff. de restit. in integ. l. 1. in fin. l. 26. §. 9. l. 28. §. 2. ff. h. t. (7. l. 22. in fin. ff. eod. l. 9. ff. de appell. l. 3. inf. de jur. reip. (8. l. 1. supr. de offic. ejus, qui vicem alicuj. judic. (9. l. 1. §. 1. l. 14. l. 15. ff. h. t.

TIT. LV. (1. L. 4. D. 7. (2. l. 17. ff. de pignorib. confer. l. 24. §. 2. ff. de judic. l. 1. infr. ubi in rem actio.

## T I T. LVI.

## DE RECEPTIS ARBITRIS. I

De appellatione. De judicati actione. De pœna, si intra diem compromisso comprehensum judicetur.

## 1. Imp. ANTONINUS A. Nepotianæ.

Ex sententia arbitri ex compromisso jure perfecto aditi appellari 2 non posse, sæpe rescriptum est: quia nec judicati actio inde præstari potest: & ob hoc invicem pœna promittitur, ut metu ejus a placitis non recedatur. Sed si ultra diem compromisso comprehensum, judicatum est, sententia nulla est, nec ullam pœnam committit, qui ei non paruerit. P. P. ix. Kal. Aug. Romæ, ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 213.

De eo, qui præsentiam sui facere detrectat.

## 2. Imp. CARUS, CARINUS, &amp; NUMERIANUS AAA.

## Clementi.

Si contra 3 compromissum adversarius tuus apud electum arbitrum præsentiam sui facere detrectavit, placitæ pœnæ videtur obnoxius P. P. viii. Kal. Jan. CARO, & CARINO COSS. 283.

De doli except. De doli clausula.

## 3. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC. Petroniæ.

Arbitrorum ex compromisso sententiæ non obtemperans, si sordes vel evidens gratia eorum, qui arbitrati sunt, intercessit; adversus filiam tuam agentem ex stipulatu, exceptione doli 4 mali uti poteris: sed ex doli mali clausula, quæ compromissi stipulationi subjici solet, filiam tuam convenire non vetaberis. P. P. 111. Id. Jan. ipsis AA. COSS. 293.

De jurejurando. 6. De verborum subtilitate negligenda.

## 4. Imp. JUSTINIANUS A. Demostheni P. P.

Ne in arbitris cum sacramenti 5 religione eligendis perjurium committatur, & detur licentia perfidis hominibus passim definitiones Judicum eludere: sanctissimo arbitrio, & hujusmodi rem censemus esse componendam. §. 1. Si igitur inter actorem, & reum, nec non ipsum Judicem fuerit consensus, ut cum sacramenti religione lis procedat, & ipsi quidem litigatores (in scriptis) hoc suis manibus, vel per publicas personas (scripserint;) vel apud ipsum arbitrum in actis propria voce deposuerint, quod sacramentis præstitis arbiter electus est, hoc etiam addito, quod & ipse arbiter juramentum præstiterit super lite cum omni veritate dirimenda: ejus definitionem validam omnimodo custodiri censemus; & (neque) reum, neque actorem posse discedere, sed tenere omnifariam, quatenus obedire ei compellantur §. 2. Sin autem de arbitro quidem nihil tale fuerit vel compositum, vel scriptum, ipsæ autem partes literis hoc manifestaverint, quod juramenti nexibus se illigaverint, ut arbitri sententiam servari, literis videlicet eorum similem vim obtinentibus; sive ab initio hoc fuerit ab his scriptum, vel præfato modo depositum, dum arbiter eligebatur, sive post definitivam sententiam hoc scriptum inveniatur, quod (cum sacramenti religione ejus audientiam amplexi sint, vel, quod ea, quæ statuta sunt adimplere juraverint. §. 3. Sed & si ipse solus arbiter hoc litigatoribus poscentibus, vel scriptis, vel depositionibus (ut dictum est) manifestum facientibus, præstiterit juramentum, quod cum omni veritate liti libramenta imponat: similem esse (etiam) in præsentibus casu prioribus ejus definitionem, & eam omnimodo legibus esse vallatam. §. 4. Et in his omnibus casibus liceat vel in factum, vel conditionem ex lege, vel in rem utilem instituere actionem, secundum quod facti qualitas postulaverit. §. 5. Sin autem in scriptura quidem aut depositione nihil tale apparuerit: una autem pars dicat juramentum esse præstitum, quatenus arbitrari stetur sententiæ: hujusmodi litigatorum, vel solius arbitri sermones minime esse credendos: cum & si quis juramentum datum esse, non judice supposito, nec hoc scriptura partium testante, concesserit: incerti certaminis compositio (quæ inter homines imperitos sæpe accidit) non aliquid vigoris rebus judicatis inferat, sed in hujusmodi casu hæc obtineant, quæ veteres super arbitris eligendis sanxerunt.

In AUTHENT. de judicibus. §. quia vero multæ.

col. 6. tit. 11. al. 10. seu Novell. 82. cap. 11.

Decernit jus novum, nullum sic fieri posse arbitrum, ut cum sacramenti religione judicet: sed panam statuat, qua præstita liceat a judicatis recedere. Si contra hoc judicatum fuerit, judex, qui male judicat, si dolo facit, pœnam a Deo expectet: si ignorantia, nihil præter sacramentum ei erit, neque litigatores rursus damno afficientur.

TIT. LVI. (1. Lib. 4. D. 8. Nov. 82. cap. 11. (2. l. 32. §. 14. ff. h. t. d. Nov. 82. c. 11. (3. l. 27. §. 4. ff. h. t. (4. l. 32. §. 14. ff. eod. (5. Abrog. Nov. 82. c. 11.

§. 6. Si quis autem post arbitri definitionem subscripserit ἐμμένειν (id est, permanere) vel πληροφρεῖν, (id est, implere), vel δίδουαι (id est, dare: (Græcis enim vocabulis hoc enarrare propter consuetudinem utilius visum est) etsi non 6 adjecerit ὁμολογῶ, id est, spondeo: & sic omnimodo per actionem in factum eum compelli ea facere, quibus consensit: qualis enim differentia est, si hujusmodi verbis etiam ὁμολογῶ adjiciatur, vel hujusmodi vocabulum omnino omittatur? Si enim verba consueta stipulationum, & subtilis, imo magis supervacua observatio ab aula concessit; & nos quidem nuper legibus a nobis scriptis, multa vitia stipulationum, multaque ambages, scrupulosoque circuitus correximus: cur non & hujusmodi scriptura totam formidinem veteris juris amputamus; ut, si quis hæc scripserit, vel unum ex his, acquiescere eis compellatur, & ea ad effectum omnimodo perducere? Cum non sit verisimile, hæc propter hoc scripsisse, ut tantum non contradicat, sed ut etiam ea impleat, adversus quæ obviam ire non potest. Dat. 111. Kal. Novemb. DECIO V. C. cos. 529.

*De exceptione, & actione. 1. De temporis interruptione. 2. Ut his, quæ apud compromissarios facta sunt, in ordinariis judiciis uti liceat.*

5. Idem A. Juliano P. P.

Cum antea sancitum fuerat in arbitris eligendis, quos neque pœna compromissi vallabat, neque Judex dederat, sed nulla sententia præcedente communis electio, ut illorum sententia staretur, procreabat; si quidem pro parte pulsata forma arbitralis procederet, exceptionem ei veluti pacti generari: sin autem pro actore calculus poneretur, nihil ex eo procedere ei præsidii: sancimus in eos arbitros, quos prædiximus, & quos talis consensus elegerit, sub eo pacto (vel) in scriptis, vel non in scriptis habito, ut eorum definitioni stetur: si quidem subscripserint, postquam definitio processerit, quod non displiceat ambabus partibus eorum sententia: non solum (reo) exceptionem veluti pacti generari, sed etiam actori ex nostro numine in factum actionem, quatenus possit sententia ejus executioni mandari, in hac quidem Regia civitate ab officio eminentissimæ Prefecturæ, vel ejus, cujus forum pars persequitur fugientis: in provinciis autem tam per Moderatores, quam per apparitores eorum, vel per Judices, quorum regimen (pars) pertinet pulsata. Sin autem post sententiam minime quidem subscripserint (se) arbitri formam amplecti, sed silentio eam roboraverint, & non intra decem dies proximos attestatio missa fuerit vel judici, vel adversario ab alterutra parte, per quam manifestum fiat, definitionem non esse amplectendam: tunc silentio partium sententiam roboratam esse, & fugienti exceptionem, & agenti memoratam actionem competere. Altera autem parte recusante secundum præfatum modum, & implere statuta minime cupientem: nihil fieri præjudicii, neque parari vel exceptionem reo, vel actori actionem: exceptis videlicet arbitris, qui cum sacramenti religione electi sunt, secundum novellam nostri numinis constitutionem 7: tunc etenim ea omnia servari (oportet,) quæ lege nostra super hujusmodi audientia definita sunt. §. 1. Licet non ignoremus Julii Pauli opinionem, & aliorum certorum prudentium, qui tægerunt (quidem) hujusmodi quæstionem, quam in præsentem agredimur, non autem peritissime peregerunt, sed usque ad quasdam actiones temporales standum esse existimaverunt: plenius tamen, & generaliter definimus, conventum in scriptis apud compromissarium judicem factum ita temporis interruptionem inducere, quasi in ordinario judicio lis fuisset inchoata. §. 2. Ad hæc generaliter sancimus, in his, quæ apud compromissarios facta sunt, si aliquid in factum respiciens vel profectum est, vel attestatum, posse eo & in ordinariis uti judiciis. Dat. vi. Kal. \* LAMPADIO & ORESTE VV. CC. cos. 530.

*De mulieribus.*

6. Idem A. Joanni P. P.

Sancimus, mulieres suæ pudicitia memores, & operum, quæ eis natura permisit, & a quibus eas jussit abstinere, licet summiæ, atque optimæ opinionis constitutæ in se arbitrium susceperint, vel si fuerint patronæ, etiam si inter libertos suam interposuerint audientiam, ab omni judiciali & agmine separari, ut ex earum electione nulla pœna, nulla pacti exceptio adversus justos earum contemtores habeatur. Dat. Kal. Sept. Constantinop. LAMPADIO & ORESTE cos. 530.

(6. L. 7. infr. de testam. l. 10. infr. de fideic. l. 1. §. 5. ff. de hered. inst. l. 106. ff. de legat. 1. l. 67. §. 9. ff. de legat. 2. (7. l. 4. supr. h. t. (8. l. 18. l. 21. supr. de procur. l. 2 §. 1. supr. de his qui veniam. l. 2. ff. de R. J.

## TIT. LVII.

## DE SATISDANDO I.

1. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.

Non est incerti juris, eum, qui apud acta factus est agentis procurator, non compelli 2 ratam rem dominum habiturum satisfacere: hoc enim casu veluti præsentis procuratorem intervenire intelligendum est. Itaque etsi postea mutata voluntate procuratorem esse noluerit, tamen judicium, quo quasi procurator expertus est, Judex ratam habere debet. 3 Sin autem ei ab adversario suo opposita fuerit in ipso litis 4 exordio defensionis 5 a legato: etiam ipse quasi absentis in hac parte procurator satisfactionem super excipienda lite præstare cogitur: qua non præcedente, lis, quæ ei data est, ulterius procedere a judice non 6 conceditur. Rei autem procurator, vel defensor, etiam sub gestorum testificatione factus, in ipso litis limine judicatum solvi 7 satisfactionem in omnibus causis præstare cogitur. Dat. ix. Kal. Nov. CC. cos. 294.

## TIT. LVIII.

## DE FORMULIS ET IMPETRATIONIBUS ACTIONUM SUBLATIS.

*De formulis.*

1. Imp. CONSTANTINUS A. Marcellino Præsidi Phœnicia.

Juris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes cunctorum actibus, radicitus amputentur. 1. Dat. x. Kalend. Febr. CONSTANTINO 111. & CONSTATE 11. AA. cos. 342.

*De Impetratione actionis.*

2. Imp. THEODOS. & VALENTIN. AA. Hierio P. U.

Nulli prorsus non imperata actionis in majore, vel minore judicio agenti opponatur exceptio, si aptam rei, & proposito negotio competentem eam esse consiterit. Dat. x. Kalend. Maii, FELICE & TAURO cos. 428.

## TIT. LIX.

## DE JUREJURANDO I PROPTER CALUMNIAM DANDO.

*De probationibus. 1. De quæstionibus.*

1. Imp. JUSTINIANUS A. Demostheni P. P.

In omnibus causis, sive propter literas fuerit apud te certatum, sive propter instrumenta, sive propter quicquam aliud, in quo necessitas probationis incumbit: sancimus, non aliter easdem probationes præstare compelli, nisi prius, qui eas exposcit, juramentum de calumnia præstiterit 2, quod non causa differendi hujusmodi proposuit allegationes: nam sacramenti timore contentiosa litigantium instantia compescitur. §. 1. Ne autem perperam in quæstionem fervorum quidam venientes, sui animi crudelitatem exercent, non aliter concedi eis, qui quæstionem servorum exposcant, ad hoc venire, vel a iudicibus audiri, nisi 3 prius tactis sacrosanctis Scripturis deponant, quod non odio fervorum, vel propter offensas coheredum ad hoc venerunt: sed quia aliter rerum hereditarium veritatem exquirere, vel ostendere non possunt. Dat. xii. Kal. Octobr. Constantinop. DECIO V. C. cos. 529.

In AUTHENT. De his, qui ingred. ad appell. §. fin. col. 5. tit. 4. al. tit. 11. seu Nov. 49. cap. 3.

Hoc sacramentum hodie remittitur, cum in initio juret nihil se calumniose in toto negotio exigere.

TIT. LVII. (1. Lib. 4. Inst. 11. Lib. 2. D. 8. 9. 11., & Lib. 46. D. 7. & 8. (2. §. 3. Inst. de satisfat. l. 1. supr. l. 65. ff. de procur. l. 3. §. 2. ff. ut in possess. legat. l. 21 ff. ratam rem hab. l. 66. §. 1. ff. ad SC. Treb. immo vide l. 5. §. 18. ff. de oper. nov. nunc. l. 39. §. 1. ff. de procur. (3. Adde l. 12. §. 2. ff. de solut. (4. Vide enim l. 40. §. 2. ff. de procur. l. 19. infr. de probat. (5. l. 33. §. 3. & seq. l. 34. ff. de procur. (6. l. 43. §. 4. ff. d. t. (7. §. ult. Inst. de satisfat. l. 46. §. 2. ff. de procur. l. 2. infr. de consort. ejusd. lit. adde tit. ff. judicatum solvi.

TIT. LVIII. (1. Adde §. 1. Inst. de verb. oblig. l. 4. §. 6. supr. de recept. arbitr. l. ult. supr. de his qui in eccles. man. l. 15. infr. de testam. l. ult. infr. de interd. l. ult. infr. de adopt. l. ult. infr. de emancip. l. ult. infr. de donat.

TIT. LIX. (1. Nov. 49. c. 3. Nov. Leon. 97. 99. 107. 2. Feud. 33. §. 1. adde Lib. 12. D. 2. (2. l. 34. §. 4. l. 37. ff. de jurejur. l. ult. inf. de fideicom. (3. l. ult. in fin. inf. de quæstionib.

*De litigatoribus, & patronis causarum. Quid jurandum. 1. Ubi jurandum 2. De administrantibus res alienas. Quid jurandum. De aliis juramentis. 3. De absente. 4. De sacramento non remittendo. 5. Si mandatum esse non constet. 6. Si actor, 7. Vel reus jurare noluerit. 8. De utilitate, & usu hujus legis. 9. De litibus tempore hujus legis lata pendentibus, vel futuris.*

2. Idem A. Joanni P. P.

**C**um (&) iudices non aliter causas dirimere concesserimus, nisi sacrosanctis 4 Evangeliiis propositis, & patronos causarum in omni orbe terrarum (qui Romano imperio suppositus est) prius jurare, & ita perferre causas disposuerimus: necessarium duximus presentem legem ponere, per quam sancimus, in omnibus litibus, quæ fuerint post 5 presentem legem inchoatæ, non aliter neque actorem, neque fugientem in primordio litis exercere certamina, nisi post narrationem, & responsionem, antequam utriusque partis Advocati sacramentum legitimum præstent, & ipsæ principales personæ subeant jusjurandum: & actor quidem juret, non calumniandi animo (litem se) movisse, sed existimando bonam causam habere: reus autem non aliter suis allegationibus utatur, nisi prius & ipse juraverit, quod putans se bona instantia uti, ad reluctandum pervenerit: & postea utriusque partis viros disertissimos Advocatos (secundum) quod jam dispositum est a nobis) juramentum præstare, sacrosanctis videlicet Evangeliiis ante iudicem positis. §. 1. Sin autem vel dignitas, vel sexus personæ non concesserit eam ad iudicem pervenire, in domo 6 litigatoris sacramentum procedere; altera videlicet parte, vel procuratore ejus præsentem.

Quid jurandum.

In AUTHENT. De his, qui ingred. ad appell. §. fin. col. 3.

tit. 4. all. 11. seu Novell. 49. cap. 3.

In isto juramento adjiciendum est, nullam in tota lite exacturam probationem, nisi quam pro veritate putat quis necessario esse exhibendam: ne sapius juretur in causa.

Ubi, & coram quibus jurandum.

In AUTHENT. ut litigantes jurent. §. 1. col. 9. tit. 7.

al. 5. seu Novell. 124. cap. 1.

**P**incipales personæ, vel illæ, ad quas negotium in medio migraverit, coram iudicibus jurent, quod nihil penitus causa patrocinii iudicibus, vel alii cuicumque personæ pro hac causa dederint, vel promiserint, vel postea dabunt, vel per se, vel per aliam mediam personam: exceptis his, quæ propriis Advocatis pro patrocinio præstant, aliisque personis, quibus nostræ leges dari disponunt. §. 1. Sed si in sacro consistorio lites, vel consultationes intromittantur, sub præsentia sacri Senatus prædictum jusjurandum præstetur. §. 2. Sed si qui litigantium ad iudicem venire nequeunt: prædictum jusjurandum præstent coram officiis ab administrantibus directis ad eos cum adversa parte. §. 3. Mulier honestæ vitæ absente adversario juret coram Officialibus. §. 4. Sed si partes in aliis locis abesse contingat, vel una earum absens fuerit: juret sub gestis monumentorum apud iudicem provinciam, vel apud defensorem locorum. §. 5. Si quis autem litigantium prædictum jusjurandum præstare noluerit: per sententiam iudicis actor casum actionis, reus condemnationem sustineat. §. 6. Tutores, & curatores in causis, quas agunt, prædictum jusjurandum præstabunt.

§. 2. Quod observari oportet, & si tutores, vel curatores, vel aliæ quædam sint personæ, quæ administrationem alienarum rerum auctoritate legitima gerunt. Convenit enim & ipsos jurejurando affici: quia ipsi causam scientes, ita ad eam perveniunt: neque enim 7 pupillus, neque adultus, vel aliæ hujusmodi personæ: sed ipsi, qui pro eis tutelam, vel curam, vel aliam legitimam gerunt administrationem, scire possunt causam, & ita ad iudicium pervenire: eo quod ex animi sui scientia jurent. Et licet veræ causæ natura alia forsitan est: tamen quod quisque credit, & existimat, hoc est jurandum. Omnibus aliis juramentis, quæ vel ex præteritis descendunt legibus, vel a nobis disposita sunt, in sua firmitate duraturis. §. 3. Sin autem abfuerit alterutra pars, & per procuratorem causa ejus agitur: non 8 ante licentiam habeat actor litem exercendam suo procuratori mandare, nisi prius actis intervenientibus in provincia, in qua degit, sacramentum calumniæ subeat. Similique modo si reus abfuerit, & forsitan per iudicatum 9 solvi stipulationem procuratorem ordinaverit, vel defensor pro eo intervenerit: & ipse vel præsentem actore per se, vel per instructum procuratorem, vel etiam absente eo (si hoc iudex

perspexerit) inter acta juramentum præstet, quod reum dare antea dispositum est. §. 4. Sed quia veremur, ne forsitan quidam collusionem aliqua utentes, remittere videantur inter se hujusmodi sacramentum, & ex prædicta dissimulatione nostram sanctionem deludant: sancimus omnes iudices, licet ex compromisso 10 cognoscant, vigorem suum exercentes (quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate presentem legem posuimus) minime pati tale sacramentum remitti, sed omnimodo hoc & ab actore, & a fugiente exigi: ne paulatim videatur hujusmodi res defraudari, & sacramentum vel principalium personarum, vel Advocatorum ex quacumque parte mutilari. §. 5. Hoc etiam huic legi addendum esse censemus: ut si quis pro alio litem movere voluerit, & nullo mandato prolato, sed per fidejussionem ratam rem dominum habiturum, suam personam firmaverit: ne vel ex hac machinatione lex circumscribi videatur: sancimus, si quid tale in posterum emerferit, (sive pro una persona quis litem movere voluerit, sive pro aliquo corpore, vel vico, vel alia universitate) fidejussionem quidem solitam præstare: litem autem ulterius minime procedere, nisi intra a iudice statuendum tempus faciat personas principales sacramentum subire, vel præsentem adversario, si hoc maluerit, vel alio pro eo agente, vel penitus altera parte cessante, inter acta apud defensorem locorum hujusmodi sacramentum (calumniæ,) vel ab ipso, pro quo agitur, vel (a) plurima 11 parte vel idonea universitatis procedat. §. 6. Quod si actor noluerit sacramentum calumniæ subire, & hoc legitime fuerit approbatum: non liceat ei penitus ad litem pervenire, sed cadat ab instituta actione, quasi improbus litigator, & tristitia iudicum ei cum summa interminatione occurrat, & a iudicio eum quam longissime expellat. §. 7. Sin autem reus hoc sacramentum subire recuserit: in his capitulis, quæ narratione comprehensa sunt, pro confesso 12 habeatur, & liceat iudici sententiam proferre, quemadmodum ei ipsa rei qualitas suggererit. §. 8. Sic enim non lites solum, sed etiam calumniatores minuentur: sic pro iudiciis putabunt sese homines in sacrariis sisti. Si enim & ipsæ principales litigantium partes per juramentum lites exerceant, & causarum patroni præbeant sacramentum, & ipsi iudices propositis sacrosanctis scripturis tam totius causæ faciunt examinationem, quam suam proferant arbitrium: quid aliud, nisi pro hominibus Deum in omnibus causis iudicem esse credendum est? Antiqua itaque calumnia 13 quiescente, & ejus ambagibus, constitutio nostra dilucida, & compendiosa in terris clareat omnibus, & sit maximum 14 ditimendarum causarum remedium. §. 9. Sed prædictum sacramentum in litibus quidem, quæ necdum sunt inchoatæ, præstari volumus in ipso litis primordio. Sin autem causæ adhuc pendentes inveniantur: vel post litem contestatam, & post solitas judiciales cautelas jam præstitas: si quidem præsto fuerit utraque persona, & in eadem civitate, vel in territorio ejus moratur: & in his litibus sacramentum locum habere, & in primo post hanc legem ingressu eum compelli jusjurandum præstare. † Sin autem una pars abfuerit, ne videatur propter absentiam personæ lis differri, & aliquod contrarium eveniat nostro proposito, & quod pro compendio litium introductum est, (protinus) hoc in adversariam figuram transformetur: jubemus presentem quidem personam omnimodo dare sacramentum, absenti 15 autem in pendentibus dumtaxat litibus (secundum quod prædictum est) hoc concedi. Sin autem utraque principalis persona abfuerit, ne diutius lites protelentur, etiam sine datione sacramenti lites pendentes suo decurrant tramite. PP. IV. Kalend. Aug. JUSTINIANO A. IV. & PAULINO V. C. COSS. 534.

3. Idem \*.

**P**ateat omnibus nostram Rempubicam procurantibus conventiculam, seu conspersionem jurisjurandi religione, vel quoquo modo compositam, a nostra maiestate prohiberi, & detestari: unde hujus rei fautores, & socios ab omni publico honore sibi commissio infamiae nota privamus: non habentibus autem ad illum publici honoris gradum accedendi licentiam, penitus amputamus.

(4. Nov. 90. c. 9. in fin. l. 13. §. 4. infr. de judic. (5 l. 7. supr. de legib. (6. Nov. 123. c. 7. Nov. 124. c. 1. l. 15. ff. de jurejur. (7. l. 26. pr. ff. d. t. l. ult. ff. de juris & facti ignor. (8. Nov. 124. c. 1. (9. v. l. un. in fin. supr. de satisfaciendo.

(10. l. 14. infr. de judic. (11. l. 19. ff. ad municip. (12. Adde l. 38. ff. de jurejur. §. 1. Instit. de pæn. rem. litig. (13. v. d. §. 1. vers. hac autem. (14. l. 1. ff. de jurejur. (15. v. l. 15. ff. d. t.

## LIBER TERTIUS.

## TIT. I.

## DE JUDICIIS. I

## De stipulatione usurarum.

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Clementi.

Judicio cepto 2, usurarum stipulatio non est peremta: Superest igitur, ut debitorem ejus temporis, quod non est in judicium deductum, convenire possis. PP. Kal. Apr. ANTONINO II. & GETA II. COSS. 206.

## Si sapius tutela agatur.

2. Idem AA. Valerio.

Licet iudice accepto, cum tutore tuo egisti, ipso (tamen) jure actio tutela sublata non est: & ideo si rursus eundem 3 iudicem petieris, contra utilem exceptionem rei iudicata, si de specie 4, de qua agis, in iudicio priore tractatum non esse allegas, non inutiliter replicatione doli mali uteris. PP. VI. Kal. Jan. FAUSTINO & RUFIN. COSS. 211.

## Si questio status bonorum disceptationi concurrat.

3. Imp. ALEXAND. A. Faustina.

Quoties questio status bonorum disceptationi concurrat 5: nihil prohibet, quo magis apud eum quoque, qui alioquin super causa status cognoscere non possit, disceptatio terminetur. PP. VI. Id. Febr. JULIANO II. & CRISPINO COSS. 225.

## De questione evictionis omissa.

4. Idem A. Popilio.

Si cum tibi pretium praediorum a curatoribus comparatorum reputaretur, & instrumenta emtionis traderentur, questionem omissa evictionis non movisti: intelligis, semel finitam litem instaurari non posse. PP. Kal. Aug. MODESTO & PROBO COSS. 229.

## De iudice delegato.

5. Imp. GORD. A. Marcello.

A iudice 6 iudex delegatus, iudicis dandi potestatem non 7 habet: cum ipse iudicario munere fungatur: nisi a Principe iudex datus fuerit. PP. IV. Non. Sept. ULPIO & PONTIANO COSS. 239.

## Quid sit iudici per se, vel per Consiliarios expediendum.

In AUTHENT. Ut defun. seu fun. eor. non injur. a cred.

§. illud. col. 5. tit. 15. al. 13. seu Nov. 60. c. 2.

Ad hac, si Administrator sit, & publicis occupationibus impediat, litem apud se agendam saltem in contestatione audiat: & rursus in medio semel, & in fine omnia etiam, qua sunt examinata, consequenter audiat, & sic ferat sententiam: & appellationem, si fiat, suscipiat: cetera licet expediri per Consiliarios. Item iudex appellationis rem per se audiat. Delegatus autem omnino per se litem una cum Consiliariis examinet. Sed si contra hoc factum fuerit, graves poena sequentur. Nam administratores & delegati viginti librarum auri multam praestabunt: Consiliarii, si quidem Advocati sint, ab advocacione expellentur: si vero non sint, sed cingulum habeant: cingulo privabuntur, & decem libras auri praestabunt.

## De servis.

6. Idem A. Junia.

Servus in iudicio interesse non 8 potest: nec, si condemnatio aliqua in personam ejus facta sit, quod statutum est, subsistit. Dat. xv. Kal. Sept. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

Contra servum detentorem rei pignori obligata non potest agi ex persona domini sui defuncti, sed missio in bonorum possessionem perenda est.

7. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Hyrinz.

Cum debitoris tui servum tibi pignoris jure obligatum, bona domini sui quondam rebus humanis exempti, tenere profitearis: adversus eum dari tibi actiones contra jus postulas: si quidem inter servum 9, & liberum consistere nullum (possit) iudicium, ad possessionem itaque pignorum magis officio iudicis venire te convenit, quam illicita postulare. S. XIV. Kal. Maii, Sirmii, CC. COSS. 294.

TIT. I. (1. Lib 5. D. 1. (2. l. 35. ff. de usur. l. 24. §. 8. ff. de edil. edicto. v. tamen l. 13. in fin. inf. de usur. (3. l. 43. ff. de recept. qui arbitr. l. 42. ff. de re judic. (4. l. 3. sup. de transact. (5. l. 1. inf. de ordin. jud. l. 1. sup. de off. rect. prov. (6. l. ult. ff. de off. ejus, cui mand. est jurisd. l. 5. ff. de jurisd. (7. Immo v. l. 12. ff. de off. procons. l. 12. §. 1. ff. h. t. (8. l. 13. ff. si quis caut. l. 107. ff. de reg. juris. (9. l. ult. inf. de noxal. act. l. 6. sup. h. t.

## De aequitate &amp; stricto jure.

8. Imp. CONSTANT. & LICIN. AA. ad Dionysium.

Placuit, in omnibus rebus praecipuum esse iustitiae, aequitatisque 10, quam stricti juris 11 rationem. Dat. Id. Maji, VOLVSIANO & ANNIANO COS. 314.

## De re plene inquirenda, &amp; de partibus interrogandis.

9. Imp. CONST. A. ad Maximum.

Judices oportet imprimis rei qualitatem plena inquisitione discutere, & tunc utramque partem sapius interrogare, num quid novi addere desideret: cum hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causa per iudicem sive ad majorem potestatem referenda sit. Dat. II. Id. Jan. Sirmii, LICINIO V. & CRISPO COSS. 318.

## De allegationibus &amp; dilationibus.

In AUTHENT. Ut cum de appell. cog. §. sed & hoc col. 8. t. 16. al. 11. seu Nov. 115. c. 2.

Jubemus, ut, si quando una pars allegationibus suis renunciat, alia vero pars se habere aliquid, quod proponat, dixerit: Iudex negotii modis omnibus eam partem, qua utitur dilatione, compellat intra triginta dies, postquam altera pars allegationibus renunciat, quicquid velit, sine aliqua intermissione proponere. Quod si non fecerit, tunc ad ejus malitiam superandam alius mensis indulgeatur a iudice. Si vero adhuc distulerit, alterius mensis dilatio ei praebeatur: Ita ut si usque ad praedictos tres menses suas non proposuerit allegationes, causa cognita non amplius expectans, sententiam omnibus modis, legibus & moribus consonantem proferat: vel, si noluerit, referat: ne litigatoribus male tractantibus liceat causarum exitus ultra protrahere.

## De causa continentia non dividenda.

10. Idem A. ad Severum Praefectum Urbi.

Nulli prorsus audientia praebeatur, qui causa continentiam 12 dividit, & ex beneficii praerogativa id, quod in uno, eodemque iudicio poterat terminari 13, apud diversos iudices voluerit ventilare: poena ex officio iudicis imminente ei, qui contra hanc supplicaverit sanctionem: atque alium super possessione, alium super principali questione iudicem postulaverit. Dat. III. Kal. Aug. PAULINO & JULIANO COSS. 325.

## Ut iudex leges non verba Principis attendat.

11. Graeca hujus Constitutionis argumentum ex indice Basilicorum & Theod. Hermopolita.

Subtilitatem legum iudex curae habeat: non autem his, quae praeter jus 14 dicta, vel prolata sunt ab Imperatore, attendens. De dilationibus. 1. De recusatione iudicis.

12. Imp. ZENO. \*

Omnes Magistratus & divini iudices compendiose lites decident: & si quis litigantium crebro competentem iudicem adiens, sine justa causa differatur, adeat Principem, auxilium ab eo expectans. §. 1. Sin recuset quis iudicem bona fide ante litem contestationem, iudex alius ei ex divina aditione dabitur: Quod si & iuste recusare videbitur, post 15 contestationem iudex alius, aut conjudex 16 ne petatur: apud unum enim iudicem omne moveatur causa negotium, & si incompetens ille super aliquo videatur causa capitulo: ex propria sententia ad competentem iudicem illud capitulum remittatur. Secundo enim, aut sapius conventus, seu expertus quis: & ex secunda causa in duplum reponet damnum, & sine fidejussoribus, aut ejectione ex secunda conventionem apud primum intendet iudicem.

## De litibus triennio finiendis, de eremodicio, &amp; de sumtibus litis.

13. Imp. JUSTIN. Juliano P. P.

Properandum nobis visum est, ne lites fiant pene 17 immortales, & vita hominum modum excedant, (cum criminales quidem causas iam nostra Lex 18 biennio conclusit: & pecuniariae causa frequentiores sunt, & saepe ipsa materiam criminibus creare no-

(10. l. 43. in fin. ff. de religio. l. 90. ff. de R. J. adde l. 51. §. 2. ff. ad leg. Aquil. l. 4. in fin. ff. de eo, quod certo loco. l. 91. §. 3. ff. de verb. obl. v. tamen l. 1. sup. de l. (11. l. 12. l. 17. ff. de injust. rupt. irrit. fact. testam. l. 91. §. 3. ff. de verb. oblig. (12. v. l. 2. sup. h. t. (13. l. 30. ff. eod. adde l. 5. inf. arbitr. tutelae. (14. v. l. ult. sup. si contra jus. (15. Vide hic Nov. 53. c. 3. (16. Adde l. ult. sup. de in jus voc. (17. v. l. Inst. de pæn. rem. lit. (18. l. ult. inf. ut intra cert. temp. crim. scuntur)

scuntur) præsentem legem super his per orbem terrarum, nullis locorum, vel temporum angustiis coarctandam, ponere. §. 1. Censemus itaque omnes lites super pecuniis, quantæcumque quantitates, sive super conditionibus, sive super iure civitatum, sive privatorum fuerint illatæ, sive super possessione, vel dominio, vel hypotheca, seu super servitutibus, vel pro aliis quibusdam causis, pro quibus hominibus inter se litigandum est, (exceptis tantummodo causis, quæ ad jus fiscale 19 pertinent, vel quæ ad publicas respiciunt functiones) non ultra triennii metas post litem contestatam esse protrahendas: sed omnes iudices, sive in hac alma Urbe, sive in provinciis majorem, seu minorem peragant administrationem, sive in Magistratibus positi, vel ex aula nostra dati, vel a nostris Proceribus delegati: non esse eis concedendum ulterius lites, quam triennii spatio, extendere. Hoc etenim judicialis magis esse potestatis, nemo est, qui ignoret: Nam si ipsi noluerint, nullus tam audax invenitur, qui possit invito Iudice litem protelare. §. 2. Et si quidem pars actoris cessaverit, quatenus multiplici dilatione reus fatigetur, & triennii metæ post litem contestatam jam prope finem veniant, ut semestris tempus tantum ei supersit: licentia erit iudici per executores negotii actorem requirere, parte fugiente ex una parte actoris absentiam incusante; & iudicibus omnimodo suas aures huiusmodi quaestionibus referantibus: & si per tres 20 vices hoc fuerit subsecutum, decem 21 dierum spatio per unumquemque introitum destinato, & nec ita pars actoris fuerit inventa, & neque per se, neque per procuratorem instructum pervenerit: tunc 22 iudicem negotii acta apud se confecta conspiciere (censemus.) Et si quidem nihil sufficiens actitatum est, ex quo possit termino causæ certa fieri conjectura: volumus 23 non solum partem fugientem ab observatione iudicii relaxare, sed etiam in omnes expensas, quæ consueto modo circa lites expendantur, eum condemnare, vera quantitate earum sacramento fugientis manifestanda, & omni cautela, quam super lite reus exposuit, reddenda: quæ & si remanserit, viribus evacuabitur. Sin autem ex gestis apud se habitis, parte actoris minime inventa, possit invenire viam, qua manifestum ei fiat, quid statuendum sit, etiam absente actore, si eum meliorem causam habere perspexerit, pro eo 24 ferre sententiam non moretur, & præsentem reum absenti actori condemnare, expensis tantummodo litis, quas reus legitime se expendisse juraverit, condemnatione excipiendis, quia hanc pœnam actori, & meliorem causam habenti propter solam absentiam contumaciam imponimus: nullo penitus ei regressu ad eandem litem conservando. Sed actor contumax cadat omnino de lite, si reus absolvatur. Sin vero aliqua condemnatio contra reum pro absente actore proferatur, quam forsitan non sufficientem sibi actor putaverit fugitivus, nullo modo iterum eandem litem resuscitare concedimus. Et hæc quidem pœna actori sit imposita. §. 3. Sin autem reus abfuerit, & similis ejus processerit requisitio, quemadmodum pro persona actoris diximus, etiam absente eo eremodiciū contrahatur, & iudex (secundum quod veteribus legibus cautum est) ex una parte cum omni subtilitate causam requirat: & si obnoxius fuerit inventus, etiam contra absentem promere condemnationem non cesset, quæ ad effectum perducatur; & per res & facultates fugientis victori satisfiat, sive ipse iudex ex sua jurisdictione hoc facere potest, sive per relationem ad majorem iudicem hoc referatur, & ex eo legitima via contra res contumacis aperiatur: nulla licentia ei, vel alii personam ejus solam prætendenti concedenda contradicendi, cum in possessionem 25 huiusmodi ex causa actor mittitur: nec si reversus ipse fuerit, & voluerit fidejussores dare, & possessionem recuperare, audiatur: in huiusmodi etenim casibus omnem ei contradictionem excludimus. §. 4. Cum autem eremodiciū ventilatur, sive pro actore, sive pro reo: examinatio causæ sine ullo obstaculo celebretur. Cum enim terribiles in medio proponuntur scripturæ, litigatoris absentia Dei præsentia repleatur: nec pertimescat iudex appellationis obstaculum, cum ei, qui contumaciter abesse noscitur, nulla sit provocationis licentia: quod & in veteribus legibus esse statutum, manifestissimi juris est. §. 5. Huiusmodi autem sententia prope finem triennii proferatur, pro quo & præsentem legem induximus. Si enim in anteriori tempore, in quo larga temporis superest dilatio, & spes absentis fenti relicta fuerit revertendi, alterutra pars cessaverit; in sola ex-

penfarum datione, & absolute forsitã præstetur pœnalis sententia: non autem tunc mors litis, & condemnatio in absentem introducat, quæ in his tantummodo casibus accidit, in quibus triennii effluentis imminet formido. §. 6. Sive autem alterutra parte absente, sive utraque præsentem lis fuerit decisa: omnes iudices, qui sub Imperio nostro constituti sunt, sciant (victum) in 26 expensarum causa victori esse condemnandum, quantum pro solitis expensis litium juraverit: non ignorantes, quod, si hoc prætermiserint, ipsi de proprio huiusmodi pœnæ subiacebunt, & reddere eam parti læsæ coarctabuntur. §. 7. Et hæc de alterutra parte litigantium contumaciter absente nobis statuere visum est, ad æquitatis rationem omnia corrigentibus. §. 8. Sin autem utraque parte imminente, & litem peragere cupiente, iudex eam accipere noluerit, vel propter amicitias, (vel inimicitias,) vel turpissimi lucri gratia, vel propter aliud quodpiam vitium, quod miserrimis animis huiusmodi iudicium innasci potest, litem ipse ausus fuerit protelare, & propter hoc triennium fuerit transactum: Iudex, si quidem in Magistratu positus est, vel in majori dignitate usque ad illustratus gradum, decem libras auri privatis nostris largitionibus inferre per scholam Palatinam compelleretur: Sin autem iudex minor fuerit, trium librarum auri multa plectetur per eandem scholam exigenda, & nostro ærario applicanda: & eo removendo, alter iudex in locum ejus subrogabitur sub similis pœnæ formidine: his omnibus locum habentibus, cum unus iudex unam causam ab initio peragit. † Sin autem in medio (triennii,) vel morte 27 iudicis, vel alia irrecusabili occasione iudicium fuerit mutatum, tunc, si quidem ex triennio annale tempus, vel amplius residet, in quo alius iudex (ei) causa imponitur, intra reliquum tempus causa finiatur. Sin autem minus, quam annale sit; tunc omne, quod deest, repleatur, ut non in minore (quam) perfecti anni tempore litem possit subrogatus iudex tam discutere, quam terminare. §. 9. Illo proculdubio observando, ut, si neque per alterutram litigantium partem, nec per iudicem steterit, quo minus lis suo Marte decurrat, sed per patronos causarum: licentia detur iudici, & eos duarum librarum auri pœna afficere per scholam Palatinam exigenda, & similiter publicis rationibus aggreganda: ipso videlicet iudice in sua sententia hoc ipsum manifestante, quod per patronos causarum, vel fugientis, vel agentis dilatio facta est, vel per omnes, vel per quosdam ex his, necessitate Advocatis imponenda, ex quo litem peragendam susceperint, eam usque ad terminum (nisi lex, vel iusta 28 causa impediatur) implere, ne ex eorum recusatione fiat causæ dilatio: honorariis scilicet a clientibus, qui dare possunt, disertissimis togatis omnimodo præstandis: & si cessaverint, per executores negotiorum exigendis; ne per huiusmodi machinationem causæ merita protrahantur; nisi ipse litigator alium pro alio patronum eligere maluerit. §. 10. Hæc autem omnia in his omnibus a nobis cauta sunt, quibus perfectæ ætatis constitutis arbitrium suum pro omnibus causis sufficit. §. 11. Sin vero causæ, vel pupillorum, vel adutorum sint, vel aliorum sub cura agentium, masculorum, vel feminarum: ut per tutores, vel curatores, vel actores, vel eorum procuratores agantur: & eorum desidia triennium fuerit elapsum, & causa ceciderint, litem quidem nihilominus suam habere vigorem: omnem autem iacturam, quæ ex hac causa oritur, ad tutores, & curatores, aut eorum fidejussores, heredesque, & res eorum, & ad omnes, quorum in hac causa legitime interest, redundare. Sin autem non sufficiat pupillis, vel minoribus eorum substantia, tunc in id, in quo fuerint detrimentum perpeffi, placuit in integrum restitutionis auxilium eis superesse. Dat. vi. Kalend. April. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*De iurejurando a Iudice, s. vel ab advocatis præstando:  
& si advocatus jurare, vel patrocinari noluerit.*

14. Idem A. Juliano P. F. P.

**R**em 29 non novam, neque insolitam aggredimur, sed antiquis quidem legislatoribus placitam: cum vero contempta sit, non leve detrimentum causis inferentem: Cui enim non est cognitum, antiquos iudices non aliter iudiciale calculum accepisse, nisi prius sacramentum præstitissent, omnimodo sese cum veritate, & legum observatione iudicium esse disposituros? Cum igitur & viam non inusitatam invenimus ambulandam: & anteriores leges nostræ, quæ de juramentis positæ sunt, non minimam suæ utilitatis experien-

(19. v. l. ult. inf. de iure fisci. (20. l. 8. inf. quom. & quando iudex. (21. l. 69. ff. h. t. abrog. Nov. 112. c. 3. (22. l. 2. inf. quom. & quando iudex. (23. l. 53. ff. de re jud. (24. l. 73. h. t. (25. l. 7. §. 1. ff. quib. ex caus. in possess.

(26. l. 4. infr. de fruct. & lit. expens. (27. l. 60. ff. h. t. (28. l. 8. ff. de procurat. (29. Adde l. 2. supr. de iurejur. propri. calumnia.



tiam litigantibus præbuerunt, & ideo ab omnibus merito collaudantur: ad hanc in perpetuum valituram legem pervenimus, per quam sancimus, omnes Judices, sive majores, sive minores, qui in administrationibus positi sunt, vel in hac Regia civitate, vel in orbe terrarum, qui nostris gubernaculis regitur, sive eos, quibus nos audientiam committimus, vel qui a majoribus iudicibus dantur, vel qui ex jurisdictione sua iudicandi facultatem, vel qui ex recepto, id est, compromisso (quod iudicium 30 imitatur) causas dirimendas suscipiunt, vel qui arbitrium peragunt, vel ex auctoritate sententiarum, & partium consensu electi sunt, & generaliter omnes omnino iudices Romani juris disceptatores, non aliter litium primordium accipere, nisi prius ante sedem iudicalem Sacrosanctæ deponantur Scripturæ, & hæc permaneant non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus, usque ad ipsum terminum, & definitivæ sententiæ recitationem. Sic etenim attendentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex majore præsidio lites diriment, scitari, quod non magis alios iudicant, quam ipsi iudicantur; cum etiam ipsis magis, quam partibus terribile iudicium est: si quidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito causas proferant trutinandas. Et hoc quidem jusjurandum iudiciale omnibus notum sit, & Romanis legibus optimum a nobis accedat incrementum, & ab omnibus iudicibus observandum: & si prætereatur, contemptoribus periculosum sit.

In AUTHENT. de defens. Civit. §. Jusjurandum col. 3. tit. 2 seu Novell. 15. cap. 1. & in authent. Jusjurandum, quod præst. ab his. §. pen. col. 2. t. 3. seu in jurejurando subjecto Nov. 8.

**H**odie jurant se facturos, secundum quod eis visum fuerit justius & melius, *exceptis Defensoribus civitatum, qui jurant, omnia secundum leges, & jura se facturos.*

§. 1. Patroni autem 31 causarum, qui utrique parti suam præstantes auxilium ingrediuntur, cum his fuerit contestata 32, post narrationem propositam, & contradictionem objectam, in qualicumque iudicio majore, vel minore, vel apud arbitros, sive ex compromisso, sive aliter datos, vel electos, sacrosanctis Evangeliiis tactis juramentum præstent, Quod 33 omni quidem virtute sua omnique ope, quod verum & justum existimaverint, clientibus suis inferre procurabunt: nihil studii relinquentes, quod sibi possibile est: non autem credita sibi causa cognita, quod improba sit, vel penitus desperata, & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque mala conscientia liti patrocinabuntur: sed & si certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit, a causa recedent, ab hujusmodi communionem sese penitus separantes. † Hocque subsecuto, nulla licentia concedatur spreto litigatori ad alterius Advocati patrocinium convolare: ne melioribus contemptis, improba advocatio subrogetur. † Sin autem pluribus patronis adhibitis, & juramento ab omnibus præstito, quidam ex his causa procedente patrocinandum esse crediderint, quidam recusaverint: exeant quidem recusantes, volentes autem remaneant: causa etenim terminus manifestare poterit, qui timidius, quique audacius iudicium vel reliquerunt, vel protulerunt: nec in hac parte litigatoribus danda licentia alios pro recusantibus subrogare. Dat. iv. Kal. Apr. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*Si contumax postea appareat, & de impensis.*

15. Idem A. Juliano P. P.

Sancimus, omnes iudices (sive in hac florentissima civitate, sive in provinciis) si quando absens persona citata postea appuerit, non aliter ei iudicalem aditum revelare, sed omnem claudere ei iudiciorum copiam, nisi 34 prius omnia damna restituat ex hujusmodi vitio adversariis ejus inflata, sive circa ingressus litis, sive circa honoraria Advocatorum, vel alias causas, quæ in iudicio versantur: astimatione 35 iudicis quantitate eorum definienda, postquam juratum ab eo fuerit, qui fecit expensas: executoribus negotiorum modis omnibus dispositionibus eorum adimplentibus; Scituris iudicibus nostris (& executoribus,) quod si hoc prætermiserint, ex sua substantia hujusmodi detrimentum læsis resarcire compellentur. † Quod & in pedaneis iudicibus observari censemus, licet non citati, sed requisiti litigatores mala conscientia abfuerint. Dat. x. Kalend. Maji, LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

(30. l. 1. l. 32. §. 9. ff. de recept. qui arbitr. l. pen. §. pen. supr. de recept. arbitr. (31. Adde §. 1. Inst. de pæn. tem. litig. (32. v. l. 1. in fin. infr. de lit. contest. (33. l. 2. pr. supr. de jurejur. propter calumn. (34. v. l. 13. §. 3. 4. 5. supr. h. e. Nov. 53. c. 4. Nov. 18. c. 8. (35. Nov. 82. c. 10.

In AUTHENT. de Judic. §. oportet. col. 6. tit. 11. seu Nov. 82. cap. 10.

**P**ost jusjurandum delatum, & præstitum non licet iudici amplius taxare. Sed & si hodie prius iudex taxaverit, & ita secundum quantitatem a iudice taxatam juratum fuerit: non habeat licentiam iudex minus, quam juratum fuerit, condemnare. Sed si viderit iudex neutrum litigatorum subdi debere rationi sumtuum propter negotii varietatem, sua sententia hoc declaret.

*De recusatione iudicis, & de appellatione.*

16. Idem A. Juliano P. P.

**A**peritissimi juris est, licere litigatoribus iudices delegatos, antequam 36 lis inchoetur, recusare: cum etiam ex generalibus formis Sublimissimæ tuæ Sedis statutum sit, necessitatem imponi, iudice recusato, partibus ad eligendos arbitros venire, & sub audientia eorum sua jura proponere. Licet enim ex imperiali numine iudex delegatus est: tamen, quia sine 37 suspitione omnes lites procedere nobis cordi est, liceat ei, qui suspectum iudicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium erratur, libello 38 recusationis ei porrecto: cum post litem contestatam neque appellari posse 39 ante definitivam sententiam, jam statuerimus, neque recusari posse, ne lites in infinitum extendantur: eodem scilicet exequutore necessitatem partibus per ordinatum iudicem, & omne civile auxilium imponente, & arbitros eligere, & ad eos venire, & sic litem appetere, quasi arbitri fuerint ab imperiali culmine delegati. Quod, & si ab imperiali Majestate iudex delegatus non sit, sed ab alio culmine, obtinere censemus. Dat. v. Kalend. Maji, Constantinop. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*De Episcopo iudici suspecto adjungendo.*

AUTHENT. ex Novell. 86. cap. 2.

In AUTHENT. ut differentes iudices audi. interpellant, allegatio. §. si vero contigerit, col. 6. tit. 15. al. col. 9. tit. 10. seu Novell. 86. cap. 2.

**S**i vero contigerit aliquem subjectorum nostrorum in dubitationem habere iudicem: jubemus sanctissimum Archiepiscopum, vel Episcopum locorum audire causam una cum clarissimo iudice; ut ambo aut per amicabilem compositionem dissolvant, quæ dubia sunt, aut per annotationem in scriptis factam, aut cognitionaliter iudicent inter litigantes: ne provinciales recedentes a patria, ad longinqua trahantur examina. Si autem iudex Episcopo parere noluerit: Principi scribat, qui de eo iudice sumet vindictam.

*De militaribus hominibus.*

17. Idem A. Joanni P. F. P.

**C**erti juris est, quod concessa est etiam militaribus 40 hominibus iudicandi facultas. Quid enim obstaculi est, homines, qui alicujus rei peritiam habent, de ea re iudicare? Cum sciamus, & militares Magistratus, & omnes tales homines per usum quotidianum jam esse approbatos: ut & audiant lites, easque dirimant, & pro sui, & legis scientia hujusmodi altercationibus finem imponant. Datum Kalend. Novemb. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*De recusatione iudicis.*

18. Idem A. Joanni P. P.

**C**um specialis iudex, sive ab Augusta fortuna, sive a iudiciali culmine in aliqua provincia, in qua incusatus degit, datus est, & una pars suspectum 41 eum sibi esse dicit: ne forte absente persona iudicis, & in alia civitate ejusdem provincie commorante, compellatur longo itinere emenso recusationis libellum ei incusatus offerre: sancimus, si quidem præsto est Præses provincie in illa civitate, ubi de ea re dubitatur, licere ei, qui suspectum sibi iudicem esse dicit, ipsum Præsidem adire, & hoc facere in actis manifestum. Si autem non est moderator provincie in præfato loco: hæc eadem apud Defensorem locorum, vel Duumviros municipales, gestis apud eos habitis, & celebrare. & iudicem quidem eum recusare: illico autem 42, (id est) intra triduum proximum, sine ulla dilatione, compelli arbitrum, vel arbitros eligere, & apud eos litigare: ne & datus iudex removeatur, & alter non eligatur: electione videlicet arbitri, si variatum inter partes fuerit 43, simili modo, vel Præsidis provincie, si adest, vel Defensoris locorum, vel Magistratum municipii arbitrio dirimenda: & exequutore ne-

(36. l. ult. infr. de except. Adde l. 4. infr. de jurisd. (37. l. 47. ff. h. e. (38. Adde l. ult. infr. eod. l. 9. pr. vers. quod si. ff. de lib. caus. (39. l. 4. infr. de jurisd. l. ult. infr. de sent. & interloc. (40. l. 6. infr. de jurisd. & supr. de off. milit. jud. (41. v. l. 16. supr. h. e. (42. v. l. 3. supr. de error. ad voc. (43. Adde l. 17. §. 6. ff. de recept. qui arbitr.

gotii, cui mandata est hujusmodi causæ examinatio, imminente, & statuta ab arbitris effectui mancipante, nisi fuerit provocatum: 44 tunc enim ipse, qui judicem antea dedit, qui suspectus visus est, appellatione trutinata, formam causæ imponat legitimam. Dat. Id. Novemb. LAMPADIO & ORESTE COSS. 530.

## T I T. II.

DE SPORTULIS I, ET SUMTIBUS IN DIVERSIS JUDICIIS FACIENDIS, ET DE EXECUTORIBUS LITIUM.

Ut exhibitus ab apparitore, cui traditus fuit, observetur.

1. Imp. GRATIANUS, VALENT. & THEOD. AAA. ad Positum Vicarium.

Quisquis fuerit exhibitus usque ad negotii terminum ab eo apparitore, cui primum traditus fuit, observari eum decernimus: si qua præsumptione fuerit hæc mansuetudinis nostræ posthabita præceptio, ptimiscrinio, qui iussa temeraverit, quinque librarum auri condemnatione multando. Dat. Kal. Jul. Mediolani, AUSONIO & OLYBRIO COSS. 379.

De his, qui edicta perferunt in provincias.

2.

Qui sacra pragmatica, aut edicta perferunt eorum, qui gesturi sunt Magistratum civilem, aut militare, quindecim solos aureos ex provincia referunt, & nihil amplius: quod si plures recipiant, quadruplum reddant, non valentes ad sui defensionem proponere, quod a volentibus id, quod amplius est, acceperunt. Sed huc usque generalis est constitutio: postea vero propriam definit pœnam contra Ducem Thebaidos, ad quem rescripta est, & eos, qui post hanc eundem adipiscuntur Magistratum, nisi a transgressoribus legis definitam exegerint pœnam.

De executoribus removendis, & puniendis.

3. Iidem AA. Juliano PP.

(Omnibus) iudicibus licentiam præstamus, (sive his, quibus a nostro numine lites mandantur, Illustribus, vel Spectabilibus, vel Clarissimis, vel Togatis fori cujuscumque Prefecturæ, vel aliis quibusque: vel his, qui ex nostris iudicibus delegandas lites accipiunt) executores si cessaverint, causas eis instructas offerre, & remove ab executione eos, & alios idoneos supponere, vel etiam multis afficere: si quidem illustres sunt iudices, usque ad sex solidorum summam: sin autem alii, usque ad tres tantummodo aureos: & ad iudices, quorum interest, referre, quatenus militia exuti pœnas luant corporales. Nostris autem amplissimis iudicibus licentia sit, & majores pœnas, & corporales maculas executoribus imponere, si male fuerint circa lites versati: ut sciant, non esse causas a se deludendas, nec lucri gratia aliquod eis vitium imponendum. Dat. v. Kalend. April. LAMPADIO & ORESTE COSS. 530.

De insinuatione. De edendo. 1. De cautione iudicio fisti.

2. De solatio ob editionem accipiendo.

4. Imp. JUSTINIANUS. \*

Is, cui commissæ sunt publicæ, aut privatæ commoditates (sententiarum, aut iussiones forte hoc loco) a Principe, vel aliquo illustrissimorum Magistratum, conveniat quidem reum, & priusquam insinuet illi hujusmodi iussiones, (interdum enim oportet eas ignorari) neque consuetas sportulas accipiat ab ipso, neque exigit ipsum, nisi exemplum divinæ, aut maximæ iussionis ediderit ipse, ex qua commonuit ipsum. † Si vero alterius cujuscumque Magistratus publicam, aut privatam præceptionem habet, aut Præsidis ejus loci, ne exigit conventum, neque consuetam accipiat: nisi insinaverit prius Præsidi provincie, ut inde possint assumere exemplum hi, qui conventi sunt, & libellus eis edatur, aut inscriptio, in criminalibus. Si vero non observatis his conventionem obtulerit, aut consuetam exegerit executor, liceat convento repellere eum. §. 1. Neque vero prætextu fidejussionum sine causa damno adficiantur provinciales ab exactoribus, vel pro constitutione procuratoris: sed si quidem immobilem possessionem habent, juratoriam emittant scripturam; si vero non habent, fidejussorem usque ad quinquaginta auri libras præstent, indemnitate gratia. † Controversia autem orta de persona fidejussoris, vel de tenore juratoriarum cautionis, apud Episcopum civitatis, & Patrem & Eccliam, seu defensores, ea dirimatur, necessitatem habente exactore accipere idoneum ab illis iudicatum fidejussorem, aut cautionem acceptam. Si vero ex divina iussione, aut maxima præceptione

(44. Vide enim l. 9. ff. qui satisfacere.)

TIT. II. (1. Nov. 17. c. 3. Nov. 82. c. 7. Nov. 123. c. 27. 28. l. 25. §. 2. Auth. Sed hodie. Auth. Generaliter. supr. de episc. & cler. l. ult. infr. de fruct. & lit. expens. l. ult. in fin. infr. de privit. scholar.)

moneatur omnimodo ipsam personam abducere, nec ipsam fidejussori credere, tunc liceat ipsi non accipere fidejussorem, sed ducere personam sine damno, & cum omni moderatione. † Deo vero amabilis locorum Episcopus, si permiserit conculcari legem, aut non minatus fuerit adversus transgressorem, & Dei offensionem incurrat, & imperialem experiatur animi motum. Similiter vero & Præses provincie si negligat legem, & carebit Magistratu, & publicatus in perpetuum relegabitur. §. 2. Ne accipiant autem exactores, qui edunt libellos, aut inscriptiones, & conventiones, aut instrumenta, ultra quam sequente constitutione permissum est solatii loco, aut, si transgressi fuerint, subiaceant ejus pœnis. V. \*\*\*. Dat. Kal. Jun. C. P. DN. JUSTINIANO pæp. A. III. COS. 533.

## T I T. III.

DE PEDANEIS I JUDICIIBUS.

De Procuratore Cæsaris.

1. Imp. GORDIANUS A. Vicaris.

Procuratori nostro non vice Præsidis agenti 2, dandi iudices inter privatas personas non competere facultatem, manifestum est: & ideo si (ut allegastis) inter privatas personas is, cujus meministis, arbitros dandos putavit: sententia ab eis prolata, nullo jure subsistit. PP. Kal. Febr. ATTICO & PRÆTEXTATO COSS. 243.

In quibus causis possunt Præsides iudices dare.

2. Imp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Vicariis.

Placet nobis, Præsides de his causis, in quibus, quod ipsi non possent cognoscere, ante hac pedaneos iudices dabant, notionis suæ examen adhibere: ita tamen, ut, si vel propter occupationes publicas, vel propter causarum multitudinem omnia hujusmodi negotia non potuerint cognoscere, iudices dandi habeant potestatem. Quod non ita accipi convenit, ut in his etiam causis, in quibus solebant ex officio suo cognoscere, dandi iudices licentia eis permissa credatur. Quod usque adeo in Præsidium cognitione retinendum est, ut eorum iudicia non diminuta videantur: dum tamen, & de ingenuitate 3, super qua poterant etiam ante cognoscere, & de libertinitate 4 Præsides ipsi dijudicent. Dat. xv. Kal. Aug. CC. COSS. 294.

Ut iudex datus cognoscat, non ad iudicium præsidale remittat. De appellatione.

3. Exemplum sacrarum literarum eorundem AA. & CC. ad Serapionem.

Placet, ut iudicibus (si quos gravitas tua disceptatores dederit), insinues, ut delegata sibi negotia lata sententia terminent: nec in his causis, in quibus pronunciare debent, & possunt, facultatem sibi patere remittendi ad iudicium Præsidiale, cognoscat: maxime cum, & si iudicatio alicui litigatorum parti injusta videatur, interponendæ provocationis potestas a sententia ex omni causa prolata libera litigatoribus tribuatur. Dat. viii. Kal. April. Antiochia, CC. COSS. 294.

De iudice subrogando.

4. Iidem AA. & CC. Firmino.

Placuit, quoties pedanei iudices dati, post litem contestatam, vel ad aliud iudicium necessario diriguntur, vel publicæ utilitatis ratione in alias provincias proficiscuntur, vel diem obierunt, atque his rationibus negotiis cœptis finis non potuit adhiberi: alium in locum eorum iudicem tribui, qui negotium examinet: ne, hujusmodi casibus intervenientibus, impedimentum aliquod in persequendis litibus afferatur. Dat. x. Kal. TYBERIO & MAXIMO COSS. 295.

In quibus causis Præsides possunt iudices dare.

5. Imp. JULIANUS A. Secundo PP.

Quædam sunt negotia, in quibus superfluum est, Moderatorem expectare provincie: ideoque pedaneos iudices (hoc est, qui negotia humiliora 5 disceptant) constituendi damus Præsidibus potestatem. Dat. v. Kal. August. Antiochia, MAMERTINO & NEVITA COSS. 362.

Constitutio Græca Zenonis de pedaneis iudicibus, qua certum numerum pedaneorum iudicum introducebat, quos diatetas vocabat, id est, (ut Latino vocabulo exprimam) arbitros. Sed non valde deploranda est ejus jactura, ut quam Justinianus in universum sustulerit, aliis duodecim pedaneis iudicibus in Zenonianorum locum instituit. Novell. 82. de iudicibus. cap. 1. Antonius Contius.

TIT. III. (1. Nov. 82. c. 5. l. ult. supr. ubi & apud quem restit. (2. l. 23. §. 1. ff. de appellat. (3. Adde l. 32. §. 7. ff. de recept. qui arbitr. (4. l. 6. infr. de reb. cred. l. 2. infr. de libertis & cor. lib. (5. v. Nov. 82. c. 5.)

TIT. IV.

## TIT. IV.

QUI PRO SUA JURISDICTIONE IUDICES DARE,  
DARIVE POSSUNT.

*Non potest delegari causa, quæ ad jurisdictionem delegantis non pertinet: & ille, cui delegatur, debet esse de jurisdictione delegantis.* Bald.

1. Imp. THEOD. & VALENT. AA. Cyro PP.

In causarum delegationibus illud consultissime præcipimus observari, ut ita valeant, si ad jurisdictionem pertineant delegantis. Quod si quis alienæ jurisdictionis causam crediderit delegandam, nec præcepto cognitorem datum patientiam accomodare censemus. Et si contra leges obtemperaverit deleganti: omnia, quæ ab ea delegatione geruntur, ita pro infectis haberi præcipimus, ac si ipsi qui delegaverant, alienæ jurisdictionis iudices refudissent: ut ne appellandi quidem necessitas visus adversus eas sententias imponatur. (Hæc teneant) nisi iudices a nobis specialiter delegantibus i dati, aliis causas delegaverint iudicandas: nam his delegantibus nullo personarum causarumve habito tractatu, appellationum ad eos jure iudicia remeabunt. Dat. xiiii. Kal. Jan. VALENTINIANO A. & ANATOLIO COSS. 440.

## TIT. V.

NE QUIS IN SUA CAUSA I JUDICET VEL JUS  
SIBI DICAT. 2

*Nemo est iudex in propria causa.* Bald.

1. Imp. VALENS, GRAT. & VALENTIN. AAA. ad Gracchum Præfectum Urbi.

Generali lege decernimus, neminem sibi esse iudicem, vel jus sibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. Dat. Kal. Dec. VALENTE VI. & VALENTINIANO II. AA. COSS. 378.

## TIT. VI.

QUI LEGITIMAM PERSONAM (STANDI) IN JUDICIIS  
HABEANT VEL NON.

*De Pupillo.*

1. Imp. GORD. A. Candidæ.

Si, cum esses pupillaris ætatis, sine i tutoris auctoritate cum adversario tuo consistens, Præfes provinciæ adversus te pronunciaverit: minime auctoritate iudicari nititur, quod statutum est. Dat. Id. Dec. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De Pupillo, & Adulto.*

2. Imp. DIOCL. & MAX. AA. & CC. Gemachæ.

In rebus, quæ privati iudicii quæstionem habent, sicut pupillus tutore auctore & agere & conveniri potest, ita & adultus curatore consentiente litem, & intendere, & excipere debet. Dat. ix. Kal. Jan. CC. COSS. 294.

*De momentanea possessione.*

3. Imp. HONOR. & THEOD. AA. Juliano II. Proconsuli Africa.

Momentaneæ & possessionis actio exerceri potest per quamcumque personam: sub colore autem adipiscendæ possessionis obreptitia petitio alteri obesse non debet: maxime, cum absque conventionione personæ legitimæ initium iurgium videatur. Nihil autem opitulatur conventio circa minorem habita, cum id rectius circa curatorem debuerit custodiri. Datum 11. Non. Mart., Ravennæ, CONSTATE & CONSTANTINO COSS. 414.

## TIT. VII.

## UT NEMO INVITUS AGERE VEL ACCUSARE COGATUR.

1. Imp. DIOCLET. A. Camerio.

Invitus i agere, vel accusare 2 nemo cogatur. Dat. Id. Oct. CARINO II. & NUMERIANO COSS. 284.

## TIT. VIII.

## DE ORDINE I JUDICIORUM.

*Si testamentum ruptum dicatur, & de causa status.*

1. Imp. SEVERUS & ANTONIN. AA. Marcellinæ, & aliis.

A dite Præsidem provinciæ, & ruptum esse testamentum Fabii Præsentis, agnatione 2 filii docete: neque enim impedit notionem ejus, quod status quæstio in cognitione vertitur, etsi super status causa cognoscere non 3 possit: pertinet enim ad officium iudicis, qui de hereditate cognoscit, universam incidentem 4 quæstionem, quæ in iudicium devocatur, examinare: quoniam non de ea, sed de hereditate pronunciat. Dat. xiiii. Kal. Dec. GETA & PLAUTIANO COSS. 204.

*De quæstione generis & familia eriscundæ.*

2. Imp. ANTONINUS A. Magnillæ.

Si quæstio tibi generis ab his, quos fratres patruales esse dicis, non fiat, adito Præside (provinciæ,) & accepto familiæ eriscundæ iudicio, experire. Quod si de ea re quæstio erit: prius de nativitatibus veritate secundum juris formam quæri, idem vir clarissimus curæ habebit. PP. x. Kal. Aug. ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 214.

*De causa civili & criminali.*

3. Imp. VALERIANUS & GALLIENUS AA. Demetrio.

Cum civili disceptationi principaliter motæ quæstio criminis incidit, vel crimini prius instituto civilis causa adjungitur: potest iudex eodem tempore utramque 5 disceptationem sua sententia dirimere. PP. Non. \* GALL. A. v. & FAUST. COSS. 263.

*Prius de crimine est pronuntiandum, quam de civili causa cognoscatur.* Bald.

4. Imp. CONSTANTINUS A. ad Calphurnium.

Quoniam civili disceptatione intermissa, sæpe fit, ut prius de crimine iudicetur; quod, utpote majus, merito minori præfertur, ex quo criminalis quæstio quocumque modo cessaverit, oportet civilem causam velut ex integro in iudicium deductam distingui: ut finis criminalis negotii ex eo die, quo inter partes fuerit lata sententia, initium civili quæstioni tribuat. Dat. Id. Mart. NEPOTIANO & FACUNDO COSS. 336.

## TIT. IX.

## DE LITIS I CONTESTATIONE.

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Valenti.

Res in iudicium deducta non videtur, si tantum postulatio simplex celebrata sit, vel actionis species ante iudicium reo cognita. 2. Inter litem enim contestatam & editam actionem permultum interest. Lis enim tunc contestata videtur, cum iudex per narrationem negotii causam audire cœperit. Dat. Kal. Sept. SEVERO III. & ANTONINO AA. COSS. 203.

In AUTHENT. de exhib. & introd. reis §. Sancimus.

col. 5. tit. 8. al. 9. seu Nov. 53. cap. 3.

Offeratur ei, qui vocatur ad iudicium libellus, & exinde præbitis sportulis, & data fideiussione, viginti dierum gaudeat induciis: quibus deliberet, cedatne an contendat; aut iudici ne alium ad sociari petat, vel recuset eum: nisi ille sit is, quem ipse alio recusato jam petierit. † Denique præsens interrogetur, an hoc tempus litis transierit: quod non modo ex ipsius responsione, sed etiam ex libelli subscriptione manifestetur: quam in initio facere debet. Litis ergo contestatio contra hoc indultum habita, pro nihilo habenda est.

In AUTHENT. de executoribus. §. 1. col. 7. tit. 8. al. 2.

seu Nov. 96. cap. 1.

Libellum vero non alias actor dirigat, nisi prius & in ipsum, quem dixi obnoxium, & in negotii executores exponat cautionem, se scilicet vel intra duos menses litem contestaturum, vel omne damnum ei, qui convenitur, contingens restitutum in duplum, cautione tamen non transcendente triginta sex aureos.

## TIT. X.

## DE PLUS PETITIONIBUS. I

1. Imp. ZENO. \*

Omnia actor sive masculus, sive femina ante definitam dilationem debiti agens, & per hoc rerum damno afficiens, aliud tantum exspectet, tempus nullam usuram in medio accipiens, quantum ipse

TIT. VIII. (1. Adde Lib. 7. infr. tit. 19. (2. v. l. 1. ff. de injust. rupt. (3. Immo vide L. 5. inf. de ord. cognit. (4. l. 1. supr. de off. rect. prov. (5. d. l. 1. l. 11. inf. ad leg. Corn. de fals.

TIT. IX. (1. Adde Lib. 1. supr. tit. 20. (2. v. Nov. 53. c. 3. §. 2. l. 14. §. 1. supr. de iudic.

TIT. X. (1. §. 33. Inst. de act.

TIT. IV. (1. v. l. 5. sup. de iudic.

TIT. V. (1. l. 10. ff. de iurisdic. l. 13. ff. quod met. caus. l. 51. ff. de recep. qui arbitr. l. 1. §. 2. ff. quod legator. adde l. 5. ff. de injur. l. ult. §. 2. infr. ubi senat. vide tamen l. 54. infr. de decur. l. 77. ff. de iudic. (2. Adde l. 9. inf. de testib.

TIT. VI. (1. l. 2. inf. h. t. l. 6. §. 5. ff. de confess. (2. l. 8. infr. unde vi.

TIT. VII. (1. v. l. 4. inf. de usur. pupill. l. 20. inf. de pignorib. l. 5. §. ult. ff. de doli mali & met. except. vide tamen l. 5. inf. de ingen. l. 6. in fin. ff. de neg. gest. (2. l. 19. ff. de accus.

prævenire definitum solutioni diem conatus est: & hoc vero tempore elapso, non aliter agat, quam si impendia primæ instantiæ circa litis præmonitionem facta adversario solvat. §. 1. Si vero tutores, aut curatores tempore, aut quantitate in plus enisi fuerint exigere, eorum, qui suæ curæ commissi sunt debitores in nullo lædantur, ut qui sub aliorum tutela & cura sint: sed ipsi tutores & curatores agnoscant subinde contingens damnum §. 2. Qui vero hereditarias res petunt, aut rationes tutelæ, aut curæ exigunt, & qui contra minores, aut majores de negotiis gestis, (seu de gesta) intendunt, aut deposita ab aliis data exigunt, ut eorum, qui deposuerunt, successores facti, nihil ex plus petitione damnificentur, veluti qui justam habeant ignorantiam causam. † Tunc vero is, qui plus petit, damnificetur, quando manifeste convictus fuerit per avaritiam delinquere. §. 3. Si vero quis minus, quam revera sit, taxaverit suam litem, nec ad hoc respiciat iudex, sed in veram quantitatem calculum ferat.

2. JUSTINIANUS A. \*

Zenonis Divæ memoriæ vestigiis insistentes; præsentī lege discernimus, ut quicumque ante 2 tempus debitum exegerit, tanto tempore ultra constitutum tempus manifesta plus petitione sine usurarum acceptione exspectet: nec tunc agere ante potest, quam omnia damna parti diversæ restituat. Tutores vel curatores talia perpetrantes, ipsi damnabuntur: exceptis his, qui res hereditarias petunt, aut rationes tutelæ, vel curæ, sive negotiorum gestorū agunt contra minores, seu majores, vel qui depositum repetunt, quasi ex successione. §. 1. Qui autem minus 3 petit in iudicio, in nullo læditur. §. 2. Si quis vero majorem, quam sibi debetur, quantitatem in libello conventionis inseruerit, in 4 triplum parti adversæ restituere compellatur, quicquid ex hac causa sportularum nomine executoribus amplius dedit.

Superioris constitutionis epitome ex Basilicis.

Si quis actor in misso a se libello, majore quantitate inserta, majoris damni causa fuerit ei, quem in jus provocat: in triplum reddat damnum, quod propter eum passus fuerit adversarius. Vera autem quantitas actionis intelligatur, in quam iudex tulerit sententiam.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Odiosas contrahentium calliditates amputare properantes, censemus: Ut si quis, certa quantitate sibi debita, super ampliore pecunia per dolum & machinationem cautionem exegerit, & ad iudicium debitorem vocaverit: si quidem ante inchoaram litem calliditatis eum poeniteat, & debiti veram quantitatem confessus fuerit, nullo eum dispendio prægrvari: sin autem liti præbuit exordium, & in certaminibus negotii permanens arguatur de adjecta falsa quantitate; non solum ea, sed etiam toto debito eum fraudari: transactionibus scilicet & secundis confessionibus sive insinuatæ sint, sive non, etiam in hoc casu suam obtinentibus firmitatem: talibus enim cautionibus hoc objicere non oportet. Dat. xv. Kal. Nov. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. coss. 530.

TIT. XI.

DE DILATIONIBUS. I

De causa & spatio.

1. Imp. DIOCL. & MAX. AA. & CC. dicunt.

Quoniam plerumque evenit, ut iudex instrumentorum vel personarum gratia dilationem dare rerum necessitate cogatur; spatium instructionis exhibendæ postulatam dari convenit. Quod hac ratione arbitramur esse moderandum: ut, si ex ea provincia, ubi lis agitur, vel persona, vel instrumenta poscantur, non amplius, quam tres menses indulgeantur: si vero ex continentibus provinciis: sex menses custodiri, justitiæ est. In transmarina 2 autem dilatione, novem menses computari oportebit. † Quod ita constitutum judicantes sentire debebunt, ut hac ratione non sibi concessum intelligant dandæ dilationis arbitrium, sed eandem dilationem, si rerum urgentissima ratio flagitaverit, & necessitas desideratæ instructionis exegerit, non facile amplius, quam semel 3, nec ulla trahendi arte sciant esse tribuendam. Dat. xv. Kal. April. CC. coss. 294.

(2.v.l.1.inf.de condict.ex lege. (3. §. 34. Inst. de action. (4.d. §. 33. in fin.

TIT. XI. (1. Lib. 2. D. 12. §. 10. 21. Inst. de except. (2. l. 7. infr. h. t. (3. l. 7. l. ult. ff. de feriis.

De rescripto, quo quis ad extraordinarium  
Judicem trahitur.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad Ursum Vicarium.

Si quando quis rescriptum ad extraordinarium iudicem reportaverit: dilatio ei penitus deneganda est. Illi autem, qui in iudicium vocatur, danda est ad improbanba precum mendacia, vel proferenda aliqua instrumenta, vel testes: quoniam instructus esse non potuit, qui præter spem ad alienum iudicium trahitur. Dat. 11. Non. Mart. VOLUSIANO & ANNIANO coss. 314.

De satisfactione ab actore præstanda. Si actor reo non occurrat.

In AUTHENT. de exhib. & introd. reis. §. 1. coll. 5.

tit. 8. al. tit. 6. Nov. 53. cap. 1.

Quod fieri non debet, nisi actor satisfecerit, certam promittens quantitatem se daturum, si litem non exequatur: aut exequens non vincat causam. Si igitur post tempus a se constitutum intra decem dies reo præsentē non occurrat: dimittatur reus, exacto eo, quod promissum est, & si quid circa litem plus impendisse cum taxatione iudicis juraverit.

De cessatione officii Judicis. De feriis.

2. Idem A. Profuturo Præfecto Pannoniæ.

Sive pars, sive integra dilatio fuerit data: eo usque iudicis officium conquiescat, donec petiti temporis defluerint curricula: Feriæ autem sive repentinæ 5, sive solennes sint, dilationum temporibus non excipiantur, sed his connumerentur. Dat. VII. Id. Feb. Sirmii, LICINIO v. & CRISPO coss. 318.

De iudice procedente vel confidente.

4. Idem A. ad Catullianum Proconsulem Africae.

Procedente iudice dilationem non convenit postulari, etiam si utraque parte præsentē tribuatur: cum non alias, nisi causa cognita, indulgeri queat: & cognitio causæ non interpellatione plenaria, sed confidente magis iudice legitime colligatur: ut si forte dilationis petitio fuerit improbata, suscepta quæstio per sententiam iudicis dirimatur. Dat. v. Id. Febr. Sirmii, LICINIO v. & CRISPO coss. 318.

De rescripto Principis. Quando deneganda dilatio.

5. Idem A. ad Maximum Præfectum Urbis. Cum a nobis fuerit ad appellationem consultationemve rescriptum: sive sit primo iudicio petita dilatio, & ea tributa non sit; sive ne petita quidem: eam dare cuiquam non licebit, eadem ratione, qua ne in iudiciis quidem 6 cognitionum nostrarum dilatio tribui solet. P. P. Romæ, VIII. Kal. April. PROBIANO, & JULIANO coss. 322.

De lite inter privatos & fiscum.

6. Imp. CONSTANTINUS, CONSTANTIUS, & CONSTANS, AAA. ad Petronium Vicarium Africae.

Inter privatos & fiscum si aliqua lis mota fuerit: utrique parti petendæ dilationis per defensores suos copia deneganda non est, si hoc commoditatis ratio postulaverit. Dat. v. Id. Apr. Aquileia, ACYNDINO & PROCULO coss. 340.

De spatio.

7. Imp. ARCAD. & HONOR. AA. Messalæ P. P.

Nec de statu ac patrimonio litigantibus in transmarina 7 etiam dilatione mensium novem spatia egredi concedatur. Dat. vi. Kal. Dec. EUTROPIO & THEODORO coss. 399.

TIT. XII.

DE FERIIS. I

De Appellationibus.

1. Imp. CONSTANTINUS, & MAXIM. AA. SEVERUS & MAXIMIN. Nobb. CC. Verino.

Quoniam consulis, an similis observantia a nobis adjicendarum feriarum, quæ rebus feliciter gestis proveniunt, ad appellationum quoque tempora porrigenda sit, Verine charissime: rescribi placuit experientia tua, ut in causis provocationum jugiter, & sine additamento hujuscemodi dierum tempora scias servari debere, & supradictorum dierum (observationi) in appellationum causis minime fieri adjectionem.

(4. Adde l. 13. §. 2. supr. de iudic. (5. v. l. 26. §. 7. ff. ex quib. caus. major. (6. l. 1. infr. de relation. (7. l. 1. supr. h. t.

TIT. XII. (1. Lib. 2. D. 12. Nov. Leon. 54.

*Enumeratio feriarum solemnium.*

2. Imp. THEOD. A. Viceno.

Ut in die Dominico 2 emancipare ac manumittere 3 liceat, reliquæ causæ, vel lites quiescant: & a die octavo Kalendarum Julii usque in Kalendas Augusti messis feria concedatur: & a Kalendas Augusti usque in decimum Kalendarum Septembris agendarum causarum tribuatur licentia. A decimo autem Kalendarum Septembris usque in Idus Octobris vindemialis feria concedatur. Sanctum quoque diem Paschæ 4, & diem Natalis 5 Domini, & Epiphaniæ, septem qui præcedunt & septem qui sequuntur, sine strepitu volumus observari. Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.

*De die Dominico.*

3. Imp. CONSTANTINUS A. Elpidio.

Omnes judices 6, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia venerabili die Solis quiescant. Ruri tamen 7 positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant: quoniam frequenter evenit, ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa. Dat. Non. Mart. CRISPO 11. & CONSTANTINO 11. COSS. 321.

*Qui possit ferias indicere.*

4. Idem A. ad Severum.

Anullo iudice 8 præsumi (debet,) ut auctoritate sua ferias aliquas condat. Nec enim Imperiales ferias vocari oportet quas administrator edixerit: ac per hoc, si nomine eximantur, etiam fructu carebunt. Dat. Id. Apr. Sirmii. \*

*De causis publicis, ac Fiscalibus. 1. De causis Pistoriis.*

5. Imp. VALENT. VALENS. &amp; GRAT. AAA. ad Olybrium.

Publicas ac fiscales causas tua sinceritas etiam feriatis geminis 9 mensibus, hoc est, sine aliqua intermissione, distinguat: §. 1. Pistoriis quoque causis iisdem diebus ratum in futurum examen exhibebit. Dat. 17. Non. Maji, Tiberiade, VALENTINIANO N. P. COSS. 368.

*De tempore Quadragesimæ.*

6. Idem AAA. Luciano. Vicario Macedoniæ.

Quadragesima diebus, qui auspicio ceremoniarum Paschale tempus anticipant, omnis cognitio inhibeat criminalium quæstionum. Dat. Kal. Apr. Thessalonica.

*Enumeratio feriarum solemnium.*

7. Imp. VALENT. THEOD. &amp; ARCAD. AAA. Albino Præfect. (Urb.)

Omnes dies jubemus esse juridicos. Illos tantum manere feriarum dies fas erit, quos geminis 10 mensibus ad requiem laboris indulgentior annus exceptit: æstivos fervoribus mitigandis: & autumnos fructibus decerpendis: Kalendarum quoque Januariarum consuetos dies otio mancipamus. His adjicimus Natalitios dies urbium maximarum Romæ, atque Constantinopolis, in quibus debent jura differri, quia & ab ipsis nata sunt. Sacros quoque Paschæ 11 dies, qui septeno numero vel præcedunt, vel sequuntur. Dies etiam Natalis, atque Epiphaniarum Christi, & quo tempore commemoratio Apostolicæ passionis totius Christianitatis magistræ a cunctis jure celebratur: in quibus etiam prædictis sanctissimis diebus neque spectaculorum 12 copiam referamus. † In eadem observatione numeramus & dies 13 Solis (quos *Dominicos* rite dixere majores) qui repetito in sese calculo revolvuntur: in quibus pariter necesse est habere reverentiam: ut nec apud ipsos arbitros, vel a iudicibus flagitatos, vel sponte electos, ulla sit cognitio jurgiorum. Nostros etiam diebus, qui vel lucis auspicia, vel ortus imperii protulerunt. In quindecim 14 autem Paschalibus diebus compulsio annonariæ functionis, & omnium publicorum privatorumque debitorum differatur exactio. Dat. 11. Id. Aug. Romæ, TIMASIO & PROMOTO COSS. 389.

*De quindecim diebus Paschalibus.*

8. Idem AAA. Tatiano P. P.

Atus omnes, seu publici sunt, seu privati, diebus 15 quindecim Paschalibus conquietant. † In his tamen & emancipandi,

& manumittendi 16 cuncti licentiam habeant: & super his acta non prohibeantur. Dat. Kalend. Januar. ARCAD. A. 11. & RUFINO COSS. 392.

## 9. \* Græca Constitutio.

Ejus epitomen restituit Ant. Augustinus. Quia tamen is putat eam potius esse epitomen l. 3. Latina supra de episcopali audientia, & nos idem arbitramur, ideo eam prætermisimus.

*De Latronibus & Isauris.*

10. Imp. HONOR. &amp; THEOD. AA. Anthemio P. P.

Provinciarum præfides moneantur, ut in quæstionibus latronum 17, & maxime Isaurorum 18, nullum quadragesimæ (tempus) nec venerabilem Paschæ diem existiment excipiendum: ne differatur sceleratorum proditio consiliorum, quæ per latronum tormenta quærenda est: cum facillime & in hoc summi Numinis spectetur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. Dat. 7. Kal. Mart. BASSO & PHILIPPO COSS. 408.

*De diebus festis. 1. De die Dominico.*

11. Imp. LEO &amp; ANTHEMIUS AA. Armasio P. P.

Dies festos Majestati altissimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. §. 1. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut a cunctis executionibus excusetur: nulla quemquam urgeat admonitio: nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio: advocatio delitescat: sit ille dies a cognitionibus alienus: præconis horrida vox filescat: respirent a controversiis litigantes, & habeant foederis intervallum: ad sese simul veniant adversarii non timentes, subeat animos vicaria poenitudo: pacta conferant, transactiones loquantur. Nec hujus tamen religiosi diei otia relaxantes, obscœnis quemquam patimur voluptatibus detineri. Nihil eodem die sibi vindicet scena 19 theatralis, aut Circense certamen, aut ferarum lacrymosa spectacula: & si in nostrum ortum, aut natalem celebranda sollennitas inciderit, differatur. Amissionem militiæ, proscriptionemque patrimonii sustinebit, si quis unquam hoc die festo spectaculis interesse, vel cujuscumque iudicis apparitor, prætextu negotii publici, seu privati, hæc, quæ hæc lege statuta sunt, crediderit temeranda. Dat. Id. Decembr. Constantinop. ZENONE & MARTIANO COSS. 469.

## TIT. XIII.

## DE JURISDICTIONE I OMNIUM JUDICUM, ET DE FORO COMPETENTI.

## FORO COMPETENTI.

*De consensu litigatorum.*

1. Imp. ANTONINUS A. Severo, &amp; aliis.

Non quidem fuit competens iudex Procurator noster in lite privatorum: sed, cum ipsi eum iudicem elegeritis 2, & is consentientibus adversariis sententiam tulerit, intelligitis, vos acquiescere debere rei ex consensu vestro iudicatæ: cum & Procurator iudicandi potestatem inter certas habeat personas: & vos incongruum eum esse vobis iudicem scientes, tamen audientiam ejus elegistis. Quod & in aliis similibus iudiciis, tam in actionem proponentis, quam in exceptionem opponentis persona locum habebit. Dat. 11. Id. Januar. MESSALA & SABINO COSS. 215.

*Ut actor forum rei sequatur.*

2. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIMIAN. AA.

Alexandro.

Juris ordinem converti postulas, ut non actor 3 rei forum, sed reus actoris sequatur: nam ubi domicilium reus habet, vel tempore contractus habuit, licet hoc postea transfulerit, ibi tantum eum conveniri oportet. Dat. 6. Id. Octobr. \*

*De consensu privatorum.*

3. Idem AA. Judex.

Privatorum consensus iudicem 4 non facit eum, qui nulli præest iudicio: nec, quod is statuit, rei iudicatæ continet auctoritatem. Dat. 6. Kal. Januar. AA. COSS. 293.

(2.v.l.3.l.7.l.ult.infr.h.t.adde l.9 supr.de episcop.aud. (3.l.8.infr.h.t. (4.l.6.l.7.l.8.infr.cod.adde l.3.supr.de episcop.aud. (5.l.7.infr.h.t. (6.Nov.Leon 54. (7.Immo vide d.Nov. (8.Vide tamen l.7.pr.ff.de off.proconf.l.4 ff.h.t. (9.l.7.infr.cod. (10.l.5 supr.cod. (11.v.l.2.supr.cod. (12.l.ult.§.1.infr.cod. (13.l.2.l.3.supr.cod. (14.l.8.infr.cod. (15.l.7.in fin.supr.cod.

(16.l.2.supr.cod. (17.l.3.supr.de episcop.aud. (18.v.l.ult.infr.ad leg.Jul.de vi publ.& priv. (19.l.7.supr.h.t.

TIT. XIII. (1.Lib.2.D.1. (2.l.14.l.18.ff.h.t.l.1.ff.de judic.l.28.ff.ad municip.l.29.supr.de pact. (3.l.5.infr.h.t.l.ult.infr.ubi in rem actio. l.un.infr.ubi de hered.l.2.infr.ubi de crim.l.3. infr.ubi causa status. (4.l.1.ff.de judic. vide tamen l.18.ff.h.t.l.29.supr.de pact.l.51.supr.de episcop.aud.

*Ne post litem contestatam ordinaria sedis declinetur examen.*

4. Imp. CONSTANTINUS A. ad universos provinciales.

**N**emo post litem contestatam ordinariæ sedis declinet examen: nec (prius) Præfeti Prætorio, aut comitis Orientis, vel alterius spectabilis iudicis imploret auxilium: sed appellatione legibus facta ad sacrum auditorium veniat. Dat. Kalend. Octobr. BASSO & ABLABIO COSS. 331.

*De negotio criminali. 1. Si quis in vetito vocet examine.*

5. Imp. ARCAD. & HONOR. AA. Vincentio Præfeto Prætorio Galliarum.

**I**n criminali negotio rei & forum accusator sequatur. §. 1. Is vero, qui suam causam, sive criminalem, sive civilem, sine cœlesti oraculo, in vetito vocavit examine, aut executionem poposcit militarem: actor quidem propositi negotii actione multetur: reus vero pro condemnato habeatur, & Tribuni sive Vicarii capitalem sibi animadversionem subeundam esse cognoscant, si vel suam, vel militum executionem interdictam præbuerint. Dat. v. Kal. Januar. Mediolani, CÆSARIO & ATTICO COSS. 397.

*De magistris militum.*

6. Imp. HONOR. & THEOD. AA. Anthemio P. P.

**M**agisteriæ potestati, inter militares viros, vel privatum actorem, & reum militarem, etiam civilium quæstionum audiendi concedimus facultatem: præsertim cum idipsum (de) more litigantium esse videatur, constetque militarem reum, nisi a suo iudice, nec exhiberi posse, nec, si in culpa fuerit, coerceri. Dat. v. Kal. Maji, LUCIO V. C. COSS. 413.

*De his, qui professiones aliquas seu negotiationes exercent.*

7. Imp. ANASTASIUS A. Constantino P. P.

**P**er iniquum & temerarium esse perspicimus, eos, qui professiones aliquas, seu negotiationes exercere noscuntur, iudicium, ad quos earum professionum seu negotiationum cura pertinet jurisdictionem & præceptionem declinare conari. Quapropter jubemus, huiusmodi hominibus nec cujuslibet militiæ, seu cinguli, vel dignitatis prærogativam in hac parte suppetere; sed eos, qui statutis in quacumque militia connumerati sunt, vel fuerint, (vel) qui dignitatem aliquam præterdunt, sine aliqua fori præscriptione his iudicibus tam in publicis, quam in privatis causis obedire compelli, ad quorum sollicitudinem professionis seu negotiationis, quam præter militiam, (ut dictum est) exercent, gubernatio videtur respicere: ita tamen, ut ipsis nihilominus iudicibus, sub quorum jurisdictione militia, sive dignitas eorum constituta est, proculdubio respondeant, his videlicet, qui contra hujus tenorem legis venire tentaverint, militiæ cingulo seu dignitatis honore pro tali conamine spoliandis.

#### TIT. XIV.

QUANDO IMPERATOR INTER PUPILLOS VEL VIDUAS, VEL (ALIAS) MISERABILES PERSONAS COGNOSCAT: ET NE EXHIBEANTUR.

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Andronicum.

**S**i contra pupillos, vel viduas, vel (diuturno) morbo fatigatos & debiles impetratum fuerit lenitatis nostræ iudicium: memorati a nullo nostrorum iudicum compellantur comitatu nostro sui copiam facere: quinimo intra provinciam, in qua litigator, & testes vel instrumenta sunt, experiantur iurgandi fortunam: atque omnis cautela fervetur, ne terminos provinciarum suarum cogantur excedere. † Quod si pupilli, vel viduæ, alique fortunæ in iuria miserabiles, iudicium nostræ serenitatis oraverint, præsertim cum alicujus potentiam perhorrescunt: cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam facere. Dat. xv. Kalend. Jul. Constantinop. OPTATO & PAULINO COSS. 334.

#### TIT. XV.

UBI DE CRIMINIBUS AGI OPORTEAT.

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Laurinz.

**Q**uestiones eorum criminum, quæ legibus, aut extra ordinem coercentur, ubi commissa sunt, vel inchoata sunt, vel ubi repetiuntur, qui rei esse perhibentur criminis, perfici debere satis notum est. PP. IV. Non. Octobr. DEXTRO & PRISCO COSS. 197.

(5. l. 16. supr. de iudic. l. 16. infr. de except. l. 52. ff. de iudic. Nov. 53. c. 3. 6. Adde l. 2. supr. h. t. l. 38. supr. de episcop. aud. TIT. XV. (1. l. 1. infr. ubi senatores. l. 7. in fin. ff. de accus. l. 7. ff. de custod. reor.

*De plagio cognoscitur apud quemlibet iudicem competentem. Bald.*

2. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Nicez.

**S**ciens liberum vapumdando, plagii crimine committit. Ab eo itaque, qui super hoc queri potest, aditus competens iudex, si is, quem puerum ingenuum vendidisse proponis, ibi degit, ibi causam cognoscet. Dat. 11. Non. Febr. Sirmii, CC. COSS. 294.

**I**n AUTHENT. ut omnes obed. Iudici Provinc. §. hæc considerantes, col. 5. tit. 24. al. 20.

Nov. 69. cap. 1.

**Q**ua in provincia quis deliquit, aut in qua pecuniarum, aut criminum reus sit: sive de terra, sive de terminis, sive de possessione, sive de proprietate, sive de hypotheca, aut de alia qualibet occasione, vel de qualibet re fuerit reus, illic etiam juri subiaceat: quod jus perpetuum est. Si ergo ambo & actor, & reus sine in provincia: illic, omni privilegio cessante, res expediatur. † Eo autem absente, ex cujus domo iniquum quid patior, ipsum, qui id admisit, vel ejus curatorem conveniam, cui datis induciis, licet denunciare domino causa: qui si neque per se veniat, neque mittat, is, qui primo conventus est, presentatus condemnatur, in quo sit obnoxius: insuper & is, qui mittere noluit, si tamen omnino appareat obnoxius: nam & de rebus ejus satisfiet, si is, qui presens est, non sit solvendo. Sed si nec ipse, qui dominum presentare debuit, compareat: præconia voce vocatus condemnatur, quia contumacia ejus pro presentia est. Quod si desit actor, cum reus venerit, sive miserit: absolvendus est, ut & damna ei resarciantur. † Excipitur hic, si forma pragmatica occasione publica causa procedens præceperit, quemquam principali comitatu exhiberi, aut ex lege hoc faciat, quale est super appellationibus. † Induciarum vero tempus nova constitutione varium præfinitum est ex diversitate locorum: quatuor scilicet mensium, si vicina est provincia, in qua hoc agitur, una aut duabus mansionibus in medio provinciarum constitutis: si vero majus sit spatium, sex: Si vero ex Palestina, aut Ægypto, aut gentium longinquarum, octo menses sufficiant: Si vero ex Hesperis gentibus, aut Septentrionalibus, aut Lybia, sufficiens visum est tempus novem mensium.

#### TIT. XVI.

UBI DE POSSESSIONE AGI OPORTEAT.

1. Imp. VALENT. & VALENS AA. ad Festum Proconsulem Africae.

**U**bi i aut vis facta dicitur, aut momentaria a possessio postulanda est, ibi loci iudicem adversus eum, qui possessionem turbavit, convenit iudicare. Dat. viii. Kalend. Jun. GRATIANO & DAGALAPHO, COSS. 366.

#### TIT. XVII.

UBI FIDEICOMMISSUM PETI OPORTEAT.

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Demetrio.

**F**ideicommissum ibi petendum esse, ubi hereditas relicta est, dabitari non oportet. PP. viii. Kal. Septembr. CHILONE & LIBONE COSS. 205.

#### TIT. XVIII.

UBI CONVENIATUR, QUI CERTO I LOCO DARE PROMISIT.

1. Imp. ALEXAND. A. Heraclidæ.

**Q**ui certo loco se se soluturum pecuniam obligat, si solutioni satis non fecerit: arbitraria a actione & in alio loco potest conveniri: in qua venit æstimatio, quod alterutrius interfuert suo loco potius, quam in eo, in quo petitur, solvi. Dat. vi. Id. Mart. FUSCO & DEXTRO COSS. 226.

#### TIT. XIX.

UBI IN REM ACTIO EXERCERI DEBEAT.

*De eo, qui rem emit, & de ejus auctore.*

1. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Pancratio.

**I**n rem actio non contra venditorem, sed contra possidentem i competit. Frustra itaque desideras, non tecum congredi, sed

(2. l. 15. infr. ad leg. Fab. de plag. (3. l. 5. supr. de jurisdict. TIT. XVI. & XVII. (1. l. ult. in fin. infr. ubi in rem. (2. l. ult. supr. qui pe s. standi. (3. v. l. 38. ff. de iudic. l. 47. pr. & §. 1. l. 108. pr. ff. de legat. 1. legi. adde l. 50. l. 52. §. 3. ff. de iudic. TIT. XVIII. (1. Adde Lib. 13. ff. tit. 4. (2. l. ult. ff. de eo, quod certo loco. (3. l. 2. ff. d. t. TIT. XIX. (1. l. ult. infr. h. t. adde l. ult. infr. de præscript. longi temp. cum

cum auctore tuo dominum vindicantem, cum te possidere contendas. Nam si denunciasti ei, qui tibi vendidit, intelligis evictionis illi periculum imminere. Nec enim jurisdictionis forma in eadem provincia constitutis tam petitorum, quam possessore, ob 2 auctoris personam, quem in alia provincia dicis consistere, debet immutari. Dat. Id. April. AA. coss. 293.

*Si quis alterius nomine possideat.*

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad universos provinciales.

Si quis alterius nomine quolibet modo possidens immobilem rem, litem ab aliquo per in rem actionem sustineat, debet statim in iudicio dominum nominare: ut sive in eadem civitate degat, sive in agro, sive in alia provincia sit; certo 3 dierum spatio a iudice definiendo, eoque ad notionem ejus perducendo, vel ipse in loca, in quibus prædium situm est, perveniens, vel procuratorem mittens, actoris intentiones excipiat. † Si vero post hujusmodi indultum tempus minime hoc, quod dispositum est, facere maluerit: tamquam lite, quæ ei ingeritur, ex eo die, quo possessor ad iudicium vocatus est ad interrumpendam longi temporis præscriptionem, contestata: iudex, utpote domino possessionis, nec post hujusmodi humanitatem sui præsentiam faciente, edictis 4 legitimis proponendis eum citare curabit: & tunc in eadem voluntate eo permanente, negotium summam discutens, in possessionem 5 rerum actorem mitti non differet: omni allegatione absenti de principali quaestione servata. Dat. x. Kal. Aug. BASSO & ABLABIO coss. 331.

*Ut actor sequatur forum rei.*

3. Imp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA.

Actor rei 6 forum, sive in rem, sive in personam sit actio, sequitur. † Sed & in locis 7, in quibus res, propter quas contenditur, constituta sunt, jubemus in rem actionem adversus possidentem 8 moveri. Dat. x. Kal. Jul. ARCADIO & BAUTONE coss. 385.

#### TIT. XX.

UBI DE HEREDITATE AGATUR, VEL UBI HEREDES SCRIPTI IN POSSESSIONEM MITTI POSTULARE DEBEANT.

1. Imp. VALERIAN. & GALLIEN. AA. Messala.

Illic, ubi res hereditarias esse proponis, heredes in possessionem rerum hereditarum mitti postulandum est. Ubi autem domicilium habet, qui convenitur, vel si (ibi,) ubi res hereditaria sita sunt, degit: hereditatis erit controversia terminanda. Dat. vii. Kal. Maji, SECULARI & DONATO coss. 261.

#### TIT. XXI.

UBI DE RATIOCINIIS, TAM PUBLICIS, QUAM PRIVATIS AGI OPORTET.

1. Imp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC. Geruntio.

Eum, qui aliena negotia, sive ex tutela, sive ex quocumque alio titulo administravit: ubi hæc gessit, rationem 1 oportet reddere. Dat. vii. Kal. Aug. ANNIBALIANO & ASCLEPIODOTO coss. 292.

2. Imp. HONOR. & THEOD. AA. Macedonio Magistro militum.

Nemo post depositum cingulum (sua) privata vitæ redditus, ob negotium, quod militiæ causa est ei exortum, præstandi ratiocinii gratia ejus numeri, in quo militavit, vel quem ipse gessit, a quocumque pulsatus, fori præscriptionibus utatur: Unumquemque enim super hujusmodi causis publicis, quas dum militaret, exercuit, vel super ratiociniis militaribus, per quæ suos contubernales amixisse asseritur, in militari oportet iudicio respondere: in quo & instructio sufficiens, & nota testimonia, & verissima possunt documenta præstari. Dat. ii. Id. Jun. \* coss. \*

(2.v.l.49.ff.de judic. (3.l.1.l.ult.sup.de dilat.Nov.69.c.2. (4.l.73. ff.l.13. §.3. sup.de judic.l.8.inf.quom & quando iudex.Nov.53.c.3. (5. l.3.sup.de procurat. (6.l.2.sup.de jurisd. (7.l.38.ff.de judic.l.un.sup. ubi fideicom. (8.l.1.sup.h.t.adde l.1.sup.ubi de possess.

TIT. XXI. (1.l.54.in fin ff.de procur.l.2. §.3.4.l.19. §.2.l.36.in fin. l.45.ff.de judic.Nov.69.c.1.

#### TIT. XXII.

UBI CAUSA STATUS AGI DEBEAT.

*De fugitiva.*

1. Imp. ALEXANDER A. Aurelio Aristocrati.

Ea, quæ a te, cum tibi serviret, fugit, & in aliam provinciam se contulit, libertatem sibi vindicans, non injuria eo loco litigare compellenda est, unde quasi fugitiva recessit. Ideoque remittere eam in provinciam, in qua servivit, Præses provinciarum, qui in eo loco jus representat, curæ habebit: sed non ubi deprehensa est, audiri debet. PP. xiiii. Kal. Sept. POMPEJANO, & PELIGNO coss. 232.

*De procuratore Casaris.*

2. Imp. DECIUS A. Felici.

Procuratores nostros status causas examinare non 1 posse, omnibus notum est. PP. Kal. Dec. DECIO A. II. & GRATO coss. 251.

*De ea, quæ in possessione libertatis constituta est.*

3. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Zenonia.

Si in possessione libertatis constituta es, cum in status etiam quaestione actor 2 rei forum sequi debeat: ibi causam liberalem agi oportet, ubi consistit, quæ ancilla dicitur, licet Senatoria dignitate actor decoretur. Dat. ii. Id. Maji, AA. coss. 297.

*De eo, qui est in possessione servitutis.*

4. Idem AA. & CC. Sifinnia.

Si ex possessione servitutis 3 in libertatem quis proclamat: ibi agi oportere status causam, ubi domicilium constitutum habet, qui se dominum dicit, non est ambigui juris. Dat. ii. Non. Mart. Byzantii, CC. coss. 294.

*De causis, quæ in provinciis moventur.*

5. Idem AA. & CC. Diogeni Præfidi insularum.

Jamdudum a nobis statutum est: Ut, si quæ causa libertinitatis, 4 & servitutis in provinciis inter fiscum & privatos exorirentur, ad Rationalem, vel Magistrum rei privatae, hoc est, unde motæ essent quaestiones, remitterentur: si quæ vero ingenuitatis essent, a Rectore 5 provinciarum examinarentur. Dat. iv. Non. Aug. CC. coss. 294.

*De quinquennii præscriptione sublata, de causis, quæ in provinciis, vel in urbe Constantinopolitana oriuntur.*

*De personis clarissimis.*

6. Imp. JUSTINIANUS A. Menæ PP.

In litibus, in quibus, utrum ingenuus, an libertinus sit aliquis, quaritur, quinquennii præscriptionem (post quod divino adjutorio opus esse veteres 6 leges præcipiebant) in posterum cessare 7 sancimus: & hujusmodi lites etiam post memotatum tempus, ad exemplum ceterarum, vel in provinciis apud earum moderatores, vel in hac alma urbe apud competentes maximos iudices 8 examinari. Quod, etiam si clarissima persona super tali conditione, vel etiam servili quaestione patiatur, tenere censemus. Dat. iii. Non. Aug. \*

#### TIT. XXIII.

UBI QUIS DE CURIALI, VEL COHORTALI, ALIAVE CONDITIONE CONVENIATUR.

1. Imp. ARCAD. & HONOR. AA. Floro P. F. P.

Si quis vel curia, vel officii iudicum, aut aliis quibuscumque corporibus obnoxius, intra provinciam ab his erit, quos aufugit, comprehensus: non expectata ejusdem iudicis notione, sub quo per ambitum coeperat militare, penitusque emendicati honoris præscriptione submota, a iudice, qui in locis aditus fuerit, audiatur: manifestarumque rerum probatione convictus, eorum societati, quos declinaverat, aggregetur. Dat. xii. Kal. Aug. Mediolani, CÆSAREO & ATTICO coss. 397.

*Homines, qui pro exactionibus, vel concussionibus conveniuntur, non possunt fori præscriptionem opponere.*

2. Imp. THEOD. & VALENT. AA. Cyro PP.

Hac perpetua lege sancimus, provincialibus iudiciis non posse fori præscriptionem opponere eos, qui ad curias vocantur, vel cohortalibus deberi dicuntur officii, vel aliis corporibus obnoxii sunt: Eos etiam, qui super exactiones, vel concussiones perpetrasse firmentur: exceptis videlicet his, qui armata militia præditi sunt, vel alias speciali beneficio Principali sese defendunt: ita.

TIT. XXII. (1.v.l.5.inf.h.t. (2.l.2.sup.de jurisdict. (3. Adde l.23. inf.de liber.caus. (4. Adde l.4.ff.fi ingenuus. (5.l.2.sup.de pedan.jad. v.tamen l.1.sup.de ordin.cognit. (6.l.2. §.1.2.l.4.ff.fi ingenuus. (7. Abrog.d.l.2. §.1.2.l.4. (8. Vide enim l.32. §.7. ff. de recept. qui arbit. tamen,

tamen, ut cui ex militaribus viris curix nomen, vel cohortalis officii quaestio ingeratur, Rector provinciarum super ejus nomine, tam ad Sedem tuam magnificentiam, quam ad Magisteriam, vel competentem referat potestatem: ut hi, qui velut debiti postulentur, provinciali iudicio destinati, ibi eventum iudicii expectent, ubi iura moveri praecipiant huiusmodi quaestiones. † Super publicis autem functionibus & debitis nemini liceat in fori praescriptionem opponere, praeter eos, qui specialiter excepti sunt. Ceteros Excellentiam tuam sedis, & Rectorum provinciarum in quolibet negotio declinare minime posse iudicium decernimus: ita ut qui tam saluberrimam legem pertinaciter violare tentaverint: sciant a moderatoribus provinciarum adversus se tamquam contumaces sententiam proferendam. Dat. xli. Kal. Oct. CYRO V. C. COSS. 441.

## TIT. XXIV.

## UBI SENATORES, VEL CLARISSIMI CIVILITER, VEL CRIMINALITER CONVENIANTUR.

De causis criminalibus.

## 1. Imp. CONSTANT. A. ad Octavianum. Comitem Hispan.

Quicumque non illustri, sed Clarissima dignitate tantum praeditus, virginem rapuerit, vel fines aliquos invaserit, vel in aliqua culpa, seu crimine fuerit deprehensus: intra provinciam, in qua facinus perpetravit, publicis legibus subijgetur, nec fori praescriptione utatur. Omnem enim huiusmodi honorem in reatu excludit. Dat. II. Non. Dec. GALLICANO & BASSO COSS. 317.

De causis pecuniariis.

## 2. Imp. VALENS, GRATIAN. &amp; VALENT. AAA. ad Senatum.

Senatores in pecuniariis causis, sive in hac (alma) urbe 2, sive in suburbanis degunt, in iudicio tam Praetorianae, quam Urbicariae Praefecturae, necnon Magistri officiorum, (quoties tamen ad eum nostrae pietatis emanaverit iussio:) in provinciis vero, ubi laudem fovent, aut ubi majorem bonorum partem possident, & assidue versantur, respondebunt. Dat. Kal. Mart. VALENTINIANO A. & NEOTERIO COSS. 390.

De causis criminalibus.

## 3. Imp. ZENO A. Arcadio.

Quoties viro forte Patricio, vel ex Patricio, vel ei, quem Praetorianae, vel Urbicariae amplissimae sedis administratio illustravit, vel Consulari viro, quem tam ordinaria professio, quam sacrae nostrae pietatis pariter sublimavit oratio, quive Magisteriae potestatis sudoribus clarus factus est, vel ei, qui Magistri officiorum, vel Quaestoris officio functus, aut sacro nostrae pietatis cubiculo Praepositus, post depositam administrationem Senatorio ordini sociatus est, aut cui nostra Serenitas Domesticorum Scholam regendam mandavit, cuive sacros nostri numinis Thesauros, aut res privatas nostrae pietatis, vel serenissimae Augustae nostrae conjugis gubernandas injunxit: post depositam videlicet administrationem, crimen publicum, privatumve, cui tamen non 4 per procuratorem respondere liceat, in hac alma urbe, vel in provinciis commoranti ingeratur: nullius alterius iudicis, nisi nostrae pietatis huiusmodi esse cognitionem, vel sacri tantummodo cognitoris, cui nostra Serenitas huiusmodi negotii audientiam vice sua sacris apicibus mittendis mandaverit: ita tamen, ut apud talem Iudicem nullius officii, vel scholae intercedente ministerio, more, atque habitu sacrarum consultationum, absque ulla videlicet observatione dierum fatalium introductae causa, viris devotissimis sacri nostri scripti libellensibus solennia implentibus audiantur: eos, qui in crimen vocatus erit, (ne quas ante probationes injurias patiat) sedendi quoque in aliqua secretarii parte, quae iudicibus inferior, altercantibus vero superior esse videatur, habituro licentiam. §. 1. Adeo autem tantarum honores dignitatum duximus augendos, ut ne sacro quidem cognitori nostro, postquam crimen fuerit patefactum, contra huiusmodi viros, vel eorum substantias statuendi aliquid concedamus facultatem, sed hoc solummodo in huiusmodi viros vice quoque Principis auditori licebit, ut intentatum apud se crimen, si patefactum fuerit, ad Principalem referat notionem: ultionis autem tantis inferendae dignitatibus modos non nisi in Principis residebit arbitrio: Cum sit certum oportere accusato-

ris calumniam, reo videlicet protinus absolvendo, inconsulta quoque nostra Serenitate, prout leges sanciant, coerceri: nisi forte accusator quoque non minoris, quam reus sit dignitatis: in hoc namque casu super coercenda huiusmodi accusatoris calumnia non immerito consulenda 6 erit Principalis auctoritas. §. 2. Viros autem Illustres in hac inclita Urbe degentes, qui sine administratione honorariis decorati fuerint codicillis, licet talem praerogativam nostrae iussionis meruerint, ut, quod non egerint, videantur egisse, in criminalibus causis magnificae tuae Sedis, & illustrissimae Urbicariae praefecturae, necnon etiam viri magnifici Magistri officiorum, (quoties tamen ad ejus iudicium specialis nostrae pietatis emanaverit iussio) sententiam respondere decernimus: ita ut huiusmodi viri sedendi quidem in cognitionibus dicendis minime sibi vindicent facultatem: sciant autem ipsi quoque nec de se, nec de suis facultatibus iudicatos alicui, nec probatis criminibus (nisi prius ad nostram pietatem retulerint) posse statuere. §. 3. Quoties autem viri Illustres in provinciis constituti, non hi tamen, quorum cognitio ad nostram maiestatem, vel ad iudicem vice nostri numinis auditurum pertineat, in quaerimoniam fuerint criminales vocati: & sedendi, cum celebratur cognitio, in secretariis iudicantium jus consequantur: & iudices, patefactis quoque criminibus ferendis contra huiusmodi viros (Illustres) vel facultates eorum sententiam abstineant, dum nostrae pietatis ad suas meruerint relationes respondere: supplicio videlicet, quod accusatoribus patefacta eorum calumnia ingerendum est, nec apud provinciales iudices, si non sic, ut superius dictum est, similem dignitatem habeant, differendo. Dat. Constantinop.

## TIT. XXV.

## IN QUIBUS CAUSIS MILITANTES FORI PRAESCRPTIONE UTI NON POSSUNT.

## 1. Imp. THEOD. &amp; VALENT. AA. Florentio PP.

Omnes omnino domesticos (&) agentes in rebus, & quaecumque alia praetendatur militia, vel dignitas, sub Moderatoribus provinciarum pro functionibus in publicis respondere, nulla fori praescriptione vitatura, sancimus: si hac, qui exiguntur publica debita, uti tentaverint. Immo & in aliis privatis actionibus occupatos volumus respondere, qui vel per provincias sociantur, vel conductorum vocabulis, cum non armata militia praediti sint, defenduntur: sive domorum divinarum, sive virorum potentium, seu cujuslibet conditionis sint conductores: nisi (si) forte commeatum ad rem propriam componendam unius anni inducias ostenderit se accepisse. Eadem forma servanda in his etiam, qui mercandi, vel militandi sacra 2 beneficia meruerint; ut & ipsi Rectoribus provinciarum respondeant. Dat. III. Kal. Constantinop. THEOD. A. XVII. & FESTO COSS. 439.

## TIT. XXVI.

## UBI CAUSAE FISCALES, VEL DIVINAE DOMUS, NOMINUMQUE EJUS AGANTUR.

De morte non defensa.

## 1. Imp. SEVERUS, &amp; ANTONINUS AA. Dioscoro.

Non defensionem in mortis quaestione apud procuratores nostros oportere tractari: nec bona (a) fisco peti posse, priusquam de crimine constiterit apud eum, cui convictis poenam irrogare licet, quis ignorat? Plane defunctis homicidii reis, apud procuratores quoque causam agendam esse ratio permittit. PP. VII. Idus Maji, LATERANO & RUFINO COSS. 198.

Si quis mortem sibi conscivisse dicatur.

## 2. Iidem AA. Arista.

Non animadvertimus, cur causas 2 ad officium procuratorum nostrorum pertinentes, ad Proconsulis notionem advocare velis: Nam cum hoc quaratur, an pater tuus mortem sibi consciverit metu alicujus poenae, ac propterea bona a fisco vindicari debeant, jam non de crimine, aut poena mortui, sed de bonis quaerendum est. Dat. xli. Kal. Oct. APRO & MAXIMO COSS. 208.

TIT. XXIII. (1. l. un. inf. in quib. caus. milit. fori praescript. non ut.

TIT. XXIV. (1. arg. l. 47. ff. de ritu nupt. (2. v. l. 3. inf. de incolis. l. pen. ff. de senat. (3. v. l. 1. inf. de quaestor. (4. v. l. ult. inf. de injur. Nov. 71. c. 1. l. 25. sup. de procur. (5. §. ult. inf. h. l.

(6. l. 27. §. 1. 2. ff. de panis.

TIT. XXV. (1. l. 2. sup. ubi de ratiociniis. (2. Vide enim l. un. inf. negot. ne militent.

TIT. XXVI. (1. v. l. 1. inf. quib. ut indignis. (2. l. 5. inf. h. t.



*De accusatione deserta.*

3. Imp. ANTONINUS A. Heliodoro.

**P**rocurator meus, qui vice Præsidis provinciæ non 3 fungitur, sicut exigere pœnam desertæ accusationis non potest: ita judicare, ut ea inferatur, sententia sua non potest. Dat. x. Kal. Sept. LETO & CEREBALI COSS. 216.

*De eo, qui emit a procuratore Cesaris mandato alterius.*

4. Imp. ALEXANDER A. Maximæ.

**C**um vendente 4 procuratore meo emisse te prædia dicas: pretium eorum necessario solvere debes. Cum his vero, quibus mandantibus eadem prædia emisse te & tradidisse dicis agente te, procurator meus (si ejus audientiam elegeris) cognoscet, ut pecuniam, quæ prædii nomine tibi debetur, & usuras, quæ fisco solvendæ sunt, consequi possis. PP. IV. Id. Oct. MAXIMO & PATERNO COSS. 234.

*De causis fiscalibus.*

5. Imp. CONSTANTINUS A. ad Ursulum.

**A**d fiscum pertinentes, 5 causas Rationalis decidat, omnibus concussionibus prohibendis. Dat. Non. Febr. Constantinop. FELICIANO & TITIANO COSS. 337.

*De conductore Cesaris.*

6. Idem A. ad Italicum.

**S**i quis adversus conductorem nostrum aliquid agendum crediderit, viro illustri Comiti rerum privatarum referri oportet: ne & judici existimationis, & officio ejus salutis discrimen imineat. Dat. Kal. Febr. \* COSS. \*

*De dominicis colonis & patrimonialibus.*

7. Idem A. ad Bulephorum Rationalem summæ rei.

**D**ominicis colonis & patrimonialibus Gravitatem tuam censemus disceptatricem esse debere. Duces enim & Præpositos militum, & castrorum, & Rectores provinciarum evocandis & arcessendis colonis abstinere oportet. Dat. XVI. Kal. Mart. LICINIO \* COSS. 318.

*De colono, aut servo Principis.*

8. Imp. CONSTANTINUS A. ad Taurum PP.

**C**um aliquid colonus 6, aut servus rei privatæ nostræ contra disciplinam publicam adseratur perpetrare, ad iudicium Rectoris provinciæ venire cogendus est: sic videlicet, ut præsentem Rationali, vel Procuratore domus nostræ, inter eum & accusatorem causa tractetur: & si facinus fuerit approbatum, juris severitas exeratur. Dat. v. Non. Mart. SIRMII, ARBITIONE & LOLLIANO COSS. 355.

*De actore rerum privatarum, seu Procuratore Cesaris.*

9. Imp. VALENT. &amp; VALENS AA. ad Philip. Virum clariss.

**U**niversi fiduciam gerant, ut, si quis eorum ab actore rerum privatarum nostrarum, sive a procuratore vexatus fuerit (injuriis,) super ejus contumeliis, vel deprædationibus deferri querimoniam (sinceritati tuæ, vel Rectori provinciæ) non dubitet, (& ad publicæ sententiæ vindictæ sine aliqua trepidatione convolare: quæ res cum fuerit certis probationibus declarata, fancimus, (& edicimus,) ut si in provinciale hanc audaciam quiscquam moliri ausus fuerit, publice vivus concremetur. 7 Dat. III. Non. Jul. HERACLIA, VALENTINIANO & VALENTE AA. COSS. 368.

*De officialibus rationalis.*

10. Imp. GRATIANUS, VALENTINIAN. &amp; THEOD. AAA. ad Polemium PP.

**N**ullum ex officio Rationalis, qui exactioni, vel chartis inseruiat, in aliud iudicium adduci oportet: nisi forte cuiuspiam caput accusatio legibus instituta pulsaverit. Dat. III. Kal. Maji, ARCAD. & BAUTONE COSS. 385.

*De conductore, aut servo Cesaris.*

11. Imp. THEOD. &amp; VALENT. AA. Artaxi Præposito sacri cubiculi.

**H**ac lege sancimus, ut, sive agat domorum nostrarum 8 colonus, inquilinusve, aut servus, sive pulsatur ab aliquo super criminali, seu civili negotio, non alterius, quam tui Culminis, ac viri spectabilis Comitis domorum petatur examen: nullius allegatione super fori præscriptione penitus admittenda. Dat. v. Id. Aprilis. \*

(3. Adde l. 1. sup. de pedan. jud. l. 4. inf. ad leg. Fab. de plag. l. 2. inf. de panis. l. ult. ff. de off. proc. Cas. l. 23. §. 1. ff. de appellat. (4. v. l. 5. in fin. ff. de jure fisci. (5. l. 2. sup. h. t. (6. Abrog. l. ult. inf. eod. (7. v. l. un. in fin. sup. de conductor. & procur. præd. fisci.

TOM. II.

## TIT. XXVII

## QUANDO LICEAT UNICUIQUE SINE JUDICE SE VINDICARE, VEL PUBLICAM DEVOTIONEM.

*De nocturnis depopulatoribus & aggressoribus itinerum.*

1. Imp. VALENT. THEOD. &amp; ARCAD. AAA. ad Provinciales.

**L**iberam resistendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicumque militum vel privatorum ad agros nocturnus populator intraverit, aut itinera frequentata infidiis aggressionis obsederit, permessa cuicumque licentia digno illico supplicio subjugetur: ac mortem, quam minabatur, excipiat, & id quod intendebat, incurrat. Melius enim est occurrere in tempore, quem post exitum vindicare. Vestram igitur vobis permittimus ultionem, & quod ferum est punire iudicio, subjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat, ut latroni. Dat. Kal. Jul. TATIANO & SYMMACHO COSS. 391.

*De desertoribus. De latronibus publicis.*

2. Imp. ARCAD. HONOR. &amp; THEOD. AAA. Hadriano P. P.

**O**pprimendorum desertorum 2 facultatem provincialibus jure permittimus. Qui si resistere ausi fuerint, in his velox ubique jubemus esse supplicium. Cuncti etenim adversus latrones publicos, desertoresque militiæ, jus sibi sciant pro quiete communi exercendæ publicæ ultionis indultum. Dat. v. Non. Oct. THEODOSIO A. & RUMORIDIO COSS. 403.

## TIT. XXVIII.

## DE INOFFICIOSO I TESTAMENTO.

*De fideicommissario.*

1. Imp. SEVERUS &amp; ANTONINUS AA. Victorino.

**C**um de inofficioso matris suæ testamento filius dicere velit adversus eum, qui ex causa fideicommissi hereditatem tenet: non est iniquum, hoc ei accomodari, ut perinde fideicommissarius teneatur, ac si pro herede 2, aut pro possessore possideret. PP. v. Kal. Jul. FALCONE, & CLARO COSS. 194.

*De bonorum possessione litis ordinandæ gratia.*

2. Idem AA. Lucretio.

**Q**uamvis de inofficioso testamento acturam te, bonorum 3 possessionem accepisse proponas: tamen scriptis heredibus auferri possessionem, incivile est. Dat. IV. Kal. Dec. DEXTRO & PRISCO COSS. 197.

*De posthumo præterito a matre.*

3. Idem AA. Januario.

**S**i mater filiis duobus heredibus institutis, tertio post testamentum suscepto, cum mutare idem testamentum potuisset, hoc facere neglexisset: merito utpote non justis rationibus neglectus, de inofficioso querelam instituere poterit. Sed cum eam in perpetuo vita decessisse proponas: repentini casus iniquitas per conjecturam 4 maternæ pietatis emendanda est. Quare filio tuo, cui nihil præter maternum fatum imputari potest, perinde virilem portionem tribuendam esse censemus, ac si omnes filios heredes instituisset. Sin autem heredes scripti extranei erant: tunc de inofficioso testamento actionem instituere non prohibetur. PP. VII. Kal. Jul. LATERANO & RUFINO COSS. 198.

*De libertate fideicommissa.*

4. Idem AA. Soterico &amp; aliis.

**C**um ex causa fideicommissi secundum Prætoris decretum in libertate morati sitis, filios etiam susceperitis: quamvis postea domini vestri testamentum inofficiosum 5 sit pronunciatum, agente filio: non est æquum, fieri vobis libertatis questionem. PP. VI. Id. Mart. ANTONINO II. & GETA II. COSS. 206.

*An querela transmittatur ad heredem.*

5. Imp. ANTONINUS A. Helio.

**S**i pater tuus post litem contestatam, vel postquam 6 propositum habuisset inofficiosum fratris testamentum dicere, te herede relicto decessit: causa necceptam, vel quocumque modo illi placitam exequi non prohiberis. PP. 11. Non. Octobr. GENTIANO & BASSO COSS. 212.

TIT. XXVII. (1. v. l. 3. ff. de just. & jur. adde l. ult. vers. neque vero. infr. de discess. vide tamen l. 14. supr. de Judais. (2. l. 2. infr. de desertor.

TIT. XXVIII. (1. Lib. 2. Inst. 18. Lib. 5. D. 2. (2. v. l. 9. ff. de hered. pet. (3. v. l. 8. pr. ff. h. t. (4. Confer. §. ult. Inst. h. t. (5. l. 8. in fin. l. 9. ff. eod. adde l. 29. ff. de manum. test. (6. l. 6. in fin. l. 7. ff. l. 36. in fin. infr. h. t.

*De legitima portione.*

6. Idem A. Ingenuo.

Cum quæritur, an filii de inofficioso patris testamento possint dicere, si quartam 7 bonorum partem mortis tempore testator reliquit, inspicitur. PP. VII. Kal. Jul. Romæ, DUOBUS ASPRIS COSS. 213.

In AUTHENT. de triente &amp; semisse. §. 1. col. 3. tit. 5.

Nov. 18. c. 1. Auth. ex Nov. 18. c. 1.

Novissima lege cautum est, ut si quatuor sint filii, vel pauciores, ex substantia deficientis triens 8: si plures sint, semis debeat eis quoquo 9 relicti titulo, ex æquo scilicet inter eos dividendus: cujus portionis nec usufructu 10 defraudari liberi a parentibus possunt.

In AUTHENT. de immensis donati. §. 1. col. 7. tit. 4.

al. 3. Nov. 92. cap. 1.

Unde & si parens in quemdam liberorum, vel in quosdam donationem 11 immensam fecerit: quisque tantum feret ex hereditate nomine Falcidia, quantum poterat ante donationem deberi. Licet autem ei, qui largitatem meruit, abstinere ab hereditate, dummodo suppleat ex donatione (si opus sit) ceterorum portionem.

*De nepte ex filio emancipato.*

7. Idem A. Secundo.

Neptem 12 defuncti actione de inofficioso testamento, (quamvis pater ejus emancipatus fuerit defunctus,) experiri posse, ignorare non debes. PP. VI. Kal. Jul. Romæ, LÆTO & CEREALI COSS. 216.

*De hereditate a patre inter filios divisa. 1. De eo, qui agnovit iudicium defuncti.*

8. Imp. ALEXAND. A. Florentino.

Parentibus arbitrium dividendæ hereditatis inter liberos adimendum non est: dummodo non minus is, qui pietatis sibi conscius est, partis, quæ intestato defuncto potuit ad eum pertinere, quartam ex iudicio parentis obtineat. §. 1. Qui autem agnovit 13 iudicium defuncti, eo quod debitum paternum pro hereditaria parte persolvit 14, vel alio legitimo modo satisfecit: etiam si minus, quam ei debebatur, relicta est, si is major viginti quinque annis est, accusare ut inofficiosam voluntatem patris, quam probavit, non potest. PP. VII. Id. Febr. MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

*De testamento militis.*

9. Idem A. Romanæ.

De inofficioso testamento 15 militis, vel jure militari, vel civili facto, vel Centurionis, vel Tribuni numeri, nec filios posse queri, jus certum est. PP. Id. Maji, MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

*De fisco.*

10. Idem A. Quintiniano.

Si heredum Quintiniani, quem patrem tuum esse dicis, adversus quos de inofficioso testamento acturus eras, jure successionis bona ad fiscum 16 pertinent, vel ipsius Quintiniani bona, utpote vacantia, fiscus tenet: causam apud Procuratorem 17 nostrum agere potes. PP. II. Id. Aug. MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

*De arenariis.*

11. Idem A. Ingenuo.

In arenam non damnato, sed sua sponte arenario constituto, legitimæ s. cessiones integræ sunt, sicuti civitas & libertas manet. Sed si testamentum parens ejus fecit: neque de inofficioso testamento accusatio, neque bonorum possessio ei competit: nam talem filium merito quis indignum 18 (sua) successione iudicat: nisi & ipse similis conditionis sit. PP. IV. Kal. Jan. JUL. & CRISPINO COSS. 225.

*De fideicommissio.*

12. Idem A. Liciniano &amp; Diogeni.

Si pater puellæ (cujus vos curatores esse dicitis) filio ex semisse, ipsa autem ex triente, & uxore ex reliquo sextante scriptis heredibus, fidei filiorum commisit, ut si quis eorum intra viginti quinque annos ætatis decederet, superstites portionem (suam) restituere: præterea uxori, ut id, quod ex causa hereditatis ad eam perve-

nisset, filiis post mortem suam restitueret, fideicommissit: calumniosam inofficiosi actionem adversus justum iudicium testatoris instituire non 19 debetis: cum ex hujusmodi fideicommissaria restitutione tam matris, quam fratris ejus portio ad eum poterat pervenire. PP. Non. Dec. ALEX. A. III. & DIONE COSS. 236.

*De testamento rescisso pro parte.*

13. Imp. GORDIANUS A. Prisciano.

Cum duobus heredibus institutis, uno ex quinque, altero ex septem uncis, adversus eum, qui ex septem uncis heres scriptus fuerat, iusta querela contendisse, ab altero 20 autem victum te fuisse alleges: pro ea parte, qua resolutum est testamentum, cum jure intestati, qui obtinuit, succedat, neque legata, neque fideicommissa debentur: quamvis libertates & directæ competant 21, & fideicommissariæ præstari debeant. PP. III. Kal. Febr. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De falsi accusatione.*

14. Idem A. Prisco.

Eum, qui inofficiosi querelam delatam non tenuit, a falsi accusatione non submoveri placuit. 22 Idem observatur, & si e contrario falsi crimine instituto victus, postea de inofficioso actionem exercere maluerit. PP. VI. Kal. Dec. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De filia præterita a matre.*

15. Imp. PHILIPPUS A. Aphrodisiæ.

Filiam præteritam a matre, ad successionem ejus citra 23 inofficiosi querelam adspirare non posse, explorati juris est. PP. V. Kal. Aug. PHILIPPO A. & TITIANO COSS. 246.

*Si testamentum non jure factum dicatur.*

16. Imp. VALERIANUS &amp; GALLIENUS AA. Valerian.

N. Caf. Theodora.

Contra majores viginti quinque annis duplicem 24 actionem inferentes, primam, quasi testamentum non sit jure perfectum, alteram, quasi inofficiosum, licet jure perfectum: præscriptio ex prioris iudicii mora quinquennalis temporis non nascitur, quæ officere non cessantibus 25 non potest. P. P. Id. Aug. TUSCO & BASSO COSS. 259.

*De matre a filio præterita.*

17. Imp. CARINUS &amp; NUMERIANUS AA. Floræ.

Cum filium tuum, te præterita, sororem heredem instituisse proponas: inofficiosi querelam apud Præsidem provincia persequi potes. PP. Id. Febr. CARINO II. & NUMERIANO AA. COSS. 284.

*De exheredata a viro divertere nobente.*

18. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. Faustina.

Cum te pietatis religionem non violasse, sed mariti conjugium, quod fuerat sortita, distrahere noluisse, ac propterea offensum, atque iratum patrem ad exheredationis notam prolapsam esse dicas: inofficiosi testamenti querelam inferre 26 non verberis: S. Kal. Maji, MAXIMO II. & AQUILINO COSS. 286.

*De filia turpiter vivente.*

19. Idem AA. Apollinari.

Si filiam tuam, eo quod turpiter 27, & cum flagitiosa foeditate vivit, a successione tua excludendam putes: si non inconsulto 28 calore, sed ex meritis ejus ad id odium incitatus es, postremi iudicii liberum arbitrium habebis. Dat. xv. Kal. Jul. Sirmii, ipsis AA. COSS. 293.

In AUTHENT. ut cum de ap. cog. §. Si vero usque ad viginti quinque, col. 8. tit. 16. al. 12. §. 1.

Nov. 115. cap. 3. §. 11.

Sed si post viginti quinque annos te differente filiam marito copulare, ea in suum corpus peccaverit, vel sine consensu tuo, marito se, libero tamen, copulaverit, eam exheredare non potes.

*De filia nolente divertere.*

20. Idem AA. &amp; CC. Saviano.

Filia in orbitate patris relicta, cum marito 29, cui matre volente nupti, colens concordiam, iustas offensionis post eisdem matris pœnitentiam causas non præstat: nec ex momentariis voluntatibus 30 matris nupta, atque vidua jure esse compellitur. Dat. Non. Jan. Sirmii, CC. COSS. 294.

(7. §. 6. Inst. l. 8. §. 3. ff. eod. adde l. 30. l. 36. in pr. inf. eod. (8. Nov. 18. c. 1. Nov. 22. c. 48. Nov. 39. c. 1. abrog. l. 6. sup. l. 8. inf. h. t. (9. Immo v. Nov. 115. c. 3. pr. (10. Immo v. l. 7. ff. de usufructu legat. (11. v. t. inf. de inoff. donat. l. 87. §. 2. ff. de legat. 2. (12. l. 1. pr. & §. 1. ff. de conjung. cum emanc. lib. (13. l. 35. §. 1. inf. h. t. (14. Adde l. 23. §. 1. l. 31. §. 2. l. ult. ff. eod. l. 2. inf. de jure delib. (15. l. 27. §. 2. ff. h. t. l. 9. inf. de testam. milit. vide tamen Nov. 123. c. 19. l. 34. auth. presbyteros. in fin. sup. de episcop. (16. v. l. 8. §. 2. ff. h. t. (17. l. 5. sup. ut causa fisc. (18. Nov. 115. c. 3. §. 10.

(19. Immo vide l. 32. inf. auth. novissima. sup. h. t. (20. l. 15. in fin. l. 24. ff. eod. l. 76. pr. ff. de legat. 2. (21. v. l. 4. sup. n. t. (22. l. 47. ff. l. 3. in fin. inf. de hered. petit. v. tamen l. 19. ff. de bon. libert. (23. v. §. ul. Inst. de exher. lib. junctal. 4. §. 2. l. 8. pr. ff. de bonor. poss. contr. tab. (24. v. l. 14. sup. h. t. (25. Adde l. 39. pr. ff. de minor. (26. v. l. 20. inf. h. t. l. 5. inf. de repud. l. 5. inf. de instit. & substit. (27. v. Nov. 115. c. 3. §. 11. (28. v. l. 48. ff. de R. J. (29. l. 18. sup. h. t. (30. l. 4. inf. de repud.

*De transversalibus.*

21. Iidem AA. &amp; CC. Alexandro.

**F**ratri 31, vel sororis filii, patris vel avunculi, amicitia etiam & matertera testamentum inofficiosum frustra dicunt: cum nemo eorum, qui ex transversa linea veniunt, exceptis fratre 32 & sorore, ad inofficiosi querelam admittatur. † De falso sane per accusationem criminis queri non prohibentur. Dat. \* CC. COSS. 294.

*De filia exheredata, de effectu rescissionis.*

22. Iidem AA. &amp; CC. Tantillæ.

**S**i maritus tuus facto testamento te quidem ex asse scripsit heredem: filia autem, quam habuit in potestate, exheredata (jure) facta minime perhibetur: nihilque ei relictum est, neque *justas offensæ causas præstitisse* (expresse) convincitur: eam de inofficioso testamento patris querentem, totam hereditatem obtinere posse non ambigitur. Quod si jam obtinuit, vel postea evincat: quodcumque maritus mortis suæ tempore debuisset tibi perhibetur, id ab ea reddi oportet. Dat. Idib. Februar. Sirmii, CC. COSS. 294.

*De eo, qui impedit testari.*

23. Iidem AA. &amp; CC. Philippo, &amp; aliis.

**T**estamenti factionem per testationem vos interdixisse matri profitentes, justam causam 33 offensæ manifeste testamini. Dat. v. Id. Sept. CC. COSS. 294.

*De testamento militis.*

24. Iidem AA. &amp; CC. Successo.

**T**estamentum 34 militis filiam in castrensi peculio factum, neque a patre, neque a liberis ejus per inofficiosi querelam rescindi potest. Dat. III. Non. Dec. Nicomedia, CC. COSS. 294.

*De filiis a matre instituendis sub hac conditione, si a patre emancipati fuerint.*

25. Iidem AA. &amp; CC. Menedoto.

**F**iliis matrem, quæ de mariti moribus secus suspicatur, ita posse consulere Jure compertum est, ut eos sub hac conditione instituat heredes, *si a patre emancipati 35 fuerint*, atque eo pacto secundum 36 tabulas bonorum possessionem patrem cum te accipere non videri, qui conditioni minime obtemperaverit: neque ei nomine filiorum inofficiosi eo modo actionem posse competere, quibus nullam injuriam fecerit mater, sed potius putaverit providendum, & ideo restituere debet. Dat. 17. Non. Jul. Antiochia, TITIANO & NEPOTIANO COSS. 301.

*De filio impubere.*

26. Iidem AA. &amp; CC. Serapioni suo salutem dicunt.

**E**x tribus 37 unciis herede instituto filio, intra pubertatis annos directam non inutiliter a patre fieri substitutionem, certum est. Dat. v. Kalend. Sept. Nicomedia, CC. COSS. 302.

*De fratribus & sororibus.*

27. Imp. CONSTANT. A. Verino.

**F**rateres 38, vel sorores uterini ab inofficiosi actione contra testamentum fratris, vel sororis penitus arceantur: consanguinei autem, durante agnatione, (vel non) contra testamentum fratris sui, vel sororis de inofficioso querelam movere possunt, si scripti heredes infamiae, vel turpitudinis 39, vel levis notæ macula aspergantur: vel liberti, qui perperam, & non bene merentes, maximisque beneficiis suam patronum adsecuti, instituti sunt: excepto servo necessario herede instituto. Dat. Id. August. Sirmii, CONSTANTINO A. V. & LICINIO CÆS COSS. 319.

*De onere probandi, & de causis exheredationis.*

28. Idem A. ad Claudium Præsidem provinciæ Daciæ.

**L**iberi de inofficioso querelam contra testamentum parentum moventes, probationem debent præstare, *Quod obsequium debitum jugiter, prout ipsius naturæ religio flagitabat, parentibus adhibuerint: nisi scripti heredes ostendere maluerint 40, ingratos liberos contra parentes existisse.* Sin autem mater contra filii testamentum inofficiosi actionem instituat, inquiri diligenter jubemus, utrum filius nulla ex justa causa læsus matrem (in) novissima læserit voluntate, (eo quod) neque luctuosam ei & legitimam reliquerit portionem: ut testamento rescisso, matri successio deferatur. 41 † Si tamen 42 mater inhonestis factis, atque indecentibus machinatio-

nibus filium forte obsedit, insidiisque eum vel clandestinis, vel manifestis appetiit, vel inimicis 43 ejus suas amicitias copulavit, atque in aliis sic versata est, ut inimica ejus potius, quam mater crederetur: hoc probato, etiam invita acquiescat filii voluntati. Dat. III. Id. Febr. CRISPO II. & CONSTANTINO CÆS. II. COSS. 321.

*De dote & donatione ante nuptias.*

29. Imp. ZENO A. Sebastiano Præf. Præt.

**Q**uoniam novella Constitutio 44 divi Leonis *ante nuptias donationem a filio conferri ad similitudinem dotis, quæ a filia confertur præcipit*: etiam ante nuptias donationem filio in quartam præcipimus imputari. Eodemque modo cum pater, vel mater pro filia dotem, vel pro filio ante nuptias donationem, vel avus paternus aut maternus, vel avia paterna aut materna pro sua nepte, aut pro suo nepote, vel proavus itidem paternus aut maternus, vel proavia paterna aut materna pro sua pronepte, vel pro suo pronepote dederit: non tantum eandem dotem vel donationem conferri 45, verum etiam in quartam partem ad excludendam inofficiosi querelam, tam dotem datam, quam ante nuptias donationem præfacto modo volumus imputari, si ex substantia ejus profecta sit, de cujus hereditate agitur. Dat. Kal. Maji, ipso A. II. COSS. 479.

*De his, quibus aliquid, 1. vel nihil relictum est. 2. De militiis in legitimam portionem imputandis.*

30. Imp. JUSTINIANUS A. Mennæ.

**O**mnimodo 46 testatorum voluntatibus prospicientes, magnam & innumerabilem occasionem subvertendæ eorum dispositionis amputare censemus: & in certis casibus, in quibus de inofficiosi defunctorum testamentis, vel alio modo subvertendis moveri solebat actio, certa & statuta lege tam mortuis consulere, quam liberis eorum vel aliis personis, quibus eadem actio competere poterat: ut, sive adjiciatur in testamento de adimplenda legitima portione, sive non, firmum quidem sit testamentum: liceat vero his personis, quæ testamentum quasi inofficiosum, vel alio modo subvertendum queri poterant, id quod minus portione legitima sibi relictum est, ad implendam 47 eam sine 48 ullo gravamine, vel mora exigere: si tamen non ingratis legitimis modis arguantur, cum eos scilicet *ingratos circa se fuisse* testator dixerit: Nam si nullam eorum *quasi ingratorum* fecerit mentionem 49, non licebit ejus heredibus ingratos eos nominare, & hujusmodi quæstionem introducere. † Et hæc quidem de his personis statuimus, quarum mentionem testantes fecerint, & aliquam eis quantitatem in hereditate, vel legato 50, vel fideicommissio, licet minorem legitima portione, reliquerint. §. 1. Sin vero vel præterierint aliquam eorum personam jam natam, vel ante testamentum quidem conceptam, adhuc vero in ventre constitutam, vel exheredatione, vel alia eorum mentione facta, nihil eis penitus reliquerit: tunc vetera si jura locum habere sancimus, nullam ex præsentate promulgatione novationem, vel permutationem accepturam. §. 2. Imputari vero filiis aliisque personis, quæ dudum ad inofficiosi testamenti querelam vocabantur, in legitimam portionem & illa volumus, quæ occasione militiæ ex pecuniis mortui iisdem personis acquisita, posse lucrari eas manifestum est: eo quod talis sit militia 52, ut vendatur, vel mortuo militante certa pecunia ad ejus, heredes 53 perveniat: ita tamen, ut ille gradus ejusdem militiæ inspicatur, quem in morte testatoris militans obtinet; ut tanta ei pecunia in legitimam portionem computetur, quantum dari constitutum est, si in eo gradu mortuus esset is, qui militiam ex pecuniis testatoris adeptus est: exceptis solis Viris Spectabilibus Silentariis sacri nostri Palatii, quibus præstita jam specialia beneficia 54, tam de aliis capitulis, quam de pecuniis super memorata militia a parentibus eorum datis, ne in legitimam portionem eis computentur, rata esse præcipimus: in ceteris vero personis prædictam observationem tenere volumus. Dat. Kal. Jun. Constantinop. JUSTINIANO A. II. COSS. 528.

*Productio superioris legis ad testamenta nuncupativa.*

31. Idem A. Mennæ P. P.

**Q**uæ nuper 55 ad testamenta conservanda, nec facile retractanda sancimus, ut ratione Falcidiæ minime illis personis de

(31. l. 1. in fin. ff. h. t. (32. l. 27. infr. eod. (33. l. 2. infr. si quis aliquem test. prohib. Nov. 115. c. 3. §. 9. (34. l. 9. supr. l. ult. pr. infr. h. t. (35. v. l. ult. ff. de hered. pet. l. 8. ff. si tab. testam. nulla ext. l. 3. infr. de instit. & substit. (36. v. l. 2. §. 1. ff. de honor. poss. sec. tab. (37. Adde l. 22. §. 1. ff. de adopt. (38. l. 21. supr. l. 1. ff. §. 1. Inst. h. t. (39. v. l. 3. pr. ff. si a parente quis manum. (40. Immo vide l. 30. infr. h. t. (41. v. l. 15. pr. ff. eod. (42. Adde Nov. 115. c. 4. 2. Feud. 57.

(43. l. 1. §. 10. ff. de off. præf. urb. (44. l. 17. infr. de collat. (45. Vide tamen l. 20. pr. infr. d. t. (46. Confer. l. 36. infr. h. t. (47. d. l. 36. (48. Auth. novissima, supr. h. t. (49. arg. l. ult. infr. de revoc. don. l. 1. in fin. ff. de SC. Silan. (50. l. 36. infr. h. t. immo vide Nov. 115. c. 3. pr. (51. v. infr. de posthum. hered. insti. de liber. præter. & exher. (52. v. l. 5. infr. qui militare, l. ult. infr. de pignorib. Nov. 35. in fin. Nov. 53. c. 5. Nov. 97. c. 4. (53. v. l. 7. l. 11. infr. de prox. sacror. scrip. (54. l. ult. infr. de silent. (55. l. 30. p. supr. h. t.

relicta, quæ ad inofficiosi testamenti querelam ex prioribus vocabantur legibus, non periclitentur testamenta, sed quod deest legitimæ portioni, id est 56, quartæ parti scilicet ab intestato successione, tantum repleatur; exceptis illis, quibus nihil in testamento derelictum est, in quibus prisca jura illibata servamus: etiam ad testamenta sine scriptis faciendâ locum habere sancimus. Dat. 11. Id. Decemb. D. N. JUSTINIANO A. 11. COSS. 528.

*De gravamine tollendo.*

32. Idem A. Mennæ P. P.

Quoniam in prioribus sanctionibus illud statuimus, ut, si quid minus legitima portione his derelictum sit, qui ex antiquis legibus de inofficioso testamento actionem movere poterant, hoc repleatur 57, ne occasione minoris quantitatis testamentum rescindatur: hoc in præsentem addendum esse censemus: Ut, si conditionibus 58 quibusdam, vel dilationibus, aut aliqua dispositione moram, vel modum, vel aliud gravamen introducente, eorum jura, qui ad memoratam actionem vocabantur, imminuta esse videantur: ipsa conditio, vel dilatio, vel alia dispositio moram, vel quodcumque onus introducens, tollatur: & ita res procedat, quasi nihil eorum testamento additum esset. Dat. 11. Kal. April. DECIO V. C. COSS. 529.

*Pœna heredis nolentis legitimam filio relictam solvere.*

1. *De infante, ne quis ex persona alterius ingratus dicatur.*

33. Idem A. Demostheni P. P.

Si quis suo testamento maximam quidem portionem libero 59 relinquat, minusculam autem alii, vel aliis de stirpe (sua) progenitis, ipsam tamen legitimam, sive in hereditate, sive in legato, vel fideicommissio, ut non possit locus inofficiosi testamenti querelæ fieri: & ille quidem, qui ex parvulo genitoris sui consequitur substantiam, eam suscipere maluerit; qui autem ex majore parte eam amplexus est, (sive unus, sive plures sint) non statim, & sine contentioso proposito, vel ulla mora eam restituere voluerit, sed expectato judiciorum strepitu, & multis variisque certaminibus habitis, post longum tempus ex sententia judicis vix eam reddiderit: crudelitatem ejus competenti pœna aggredimur, ut, si hæc fuerint subsecuta, non tantum in id, quod testator voluit eum restituere, condemnentur; (sed etiam aliam tertiam) partem 60 quantitatis, quæ fuerat in testamento derelicta, modis omnibus reddere cogatur: ut avaritia ejus legitimis iustis feriatur: Aliis omnibus, quæ in eodem testamento, vel elogio scripta sunt, pro sui tenore ad effectum perducendis. §. 1. Legis autem veteris iniquitatem tollentes, ut non diutius erubescat lex posita, (quam Julius Paulus in suis scripsit Quæstionibus) hanc piissimam aggredimur sanctionem: Cum enim infantem 61 suum non posse ingratum a matre sua vocari scripsit, neque propter hoc ab ultima suæ matris hereditate repelli, nisi hoc odio fecerit sui mariti, ex quo infans progenitus est: hoc iniquum judicantes, ut alieno 62 odio alius prægravetur, penitus delendum esse sancimus: & hujusmodi causam liberis non tantum infantibus, sed etiam quamcumque ætatem agentibus opponi minime concedimus: cum possit sub 63 conditione emancipationis hereditatem suam mater filio derelinquens, & patris odium punire, & juri filii sui minime nocere, nec suam naturam fallere. Satis enim crudele nobis esse videtur, eum, qui non sentit, ingratum existimari. Dat. XII. Kal. Octob. DECIO V. C. COSS. 529.

*An querela transmittatur ad heredem.*

34. Idem A. Joanni P. P.

Si quis filium suum exheredatum fecerit, alio scripto heredem, reliquerit autem ex eo nepotem (vel) vivum, vel in ventre 64 nurus suæ constitutum: deliberante vero scripto heredem filius (exheredatus) decesserit, nulla hereditatis petitione ex nomine de inofficioso constituta, vel preparata, omne adiutorium nepotem dereliquit: neque enim pater nepoti aliquod jus, cum decesserit, contra patris (sui) testamentum dereliquit: quia postea & adita est ab extraneo hereditas, & supervixit avo pater ejus: ut neque ex lege Velleja possit in locum patris sui succedere, & rescindere testamentum. Et hoc nonnulli Jurisconsulti 65 in medium propo-

(56. l. 6. supr. l. 8. §. 3. ff. §. 3. Inst. eod. (57. l. 30. l. 21. supr. eod. (58. Auth. novissima. supr. eod. vide tamen l. 25. supr. eod. adde l. 21. §. 1. & 2. ff. de jure patron. (59. Immo vide l. 148 ff. de V. S. (60. Immo confer. l. ult. in fin. infr. de fideicom. (61. Adde l. 55. in fin. ff. de fideic. libert. l. 12. ff. ad leg. Corn. de sicariis. (62. l. 22. infr. l. 26. ff. de pœnis. l. 74. ff. de reg. jur. (63. l. 25. supr. h. t. (64. l. 9. §. 2. ff. de liber. & posthum. l. 6. ff. de injust. rupi. l. 7. ff. unde liberi. (65. d. l. 9. §. 2.

nentes inhumane reliquerunt. Sed nos (qui omnes subjectos nostros & filios, & nepotes habere existimamus, affectione paterna & imitatione) secundum quod possibile est, omnium commodis prospicientes, jubemus, in tali specie eadem jura nepoti dari 66, quæ filius habebat: etsi preparatio facta non est ad inofficiosi querelam instituendam, tamen posse nepotem eandem causam proponere: & si non heres apertissimis probationibus ostenderit ingratum patrem nepotis circa testatorem fuisse; testamento remoto, ab intestato eum vocari, nisi certa quantitas patri ejus minor parte legitima relicta est: tunc etenim, secundum novellam 67 nostri nuntius Constitutionem, repletio quartæ partis nepoti superest, si qua patri ejus competebat, ut perfruantur nostro beneficio a vetustate quidem neglectus, a nostro autem vigore recreatus, nisi pater adhuc superstes, vel repudiavit 68 querelam, vel quinquennio tacuit, scilicet post aditam hereditatem. Dat. 11. Kal. Aug. LAMPADIO & ORESTE COSS. 530.

*De libera testamenti factione concessa. 1. De pactis & transactionibus. 2. De eo, qui simpliciter agnovit, quod sibi datum vel relictum est pro legitima.*

35. Idem A. Juliano P. P.

Si quando talis concessio Imperialis processerit, per quam libera testamenti factio 69 conceditur; nihil aliud videri Principem concedere, nisi, ut habeat legitimam, & consuetam testamenti factionem: neque enim credendum est, Romanum Principem, qui jura tuetur, hujusmodi verbo totam observationem testamentorum multis vigiliis excogitatam atque inventam velle everti. §. 1. Illud etiam sancimus, at si quis a patre certas res vel pecunias accepisset, & pactus fuisset, quatenus de inofficioso querela adversus testamentum paternum minime ab eo moveretur: & post obitum patris filius, cognito paterno testamento, non agnoverit ejus judicium, sed oppugnandum putaverit, veteri jurgio expulso, hujusmodi pacto filium minime gravari 70, secundum Papiniani responsum: in quo definivit, meritis magis filios ad paterna obsequia provocandos, quam pactionibus adstringendos. Sed hoc ita admittimus, nisi transactiones ad heredes paternos filius celebraverit, in quibus apertissime judicium patris agnoverit. §. 2. Et generaliter definimus quando pater minus legitima portione filio reliquerit, vel aliquid dederit, vel mortis causa donatione, vel inter vivos, sub ea conditione, ut hæc inter vivos donatio in quartam ei computetur: si filius post obitum patris hoc, quod relictum vel donatum est, simpliciter 71 agnoverit, forte & securitatem heredibus fecerit, quod ei relictum vel datum est, accepisse, non adjiciens, nullam sibi superesse de repletionem 72 quæstionem: nullum sibi filium facere præjudicium, sed legitimam partem repleri: nisi hoc specialiter sive in apocha, sive in transactione scripserit, vel pactus fuerit, quod contentus relicta vel data parte de eo, quod deest, nullam habeat quæstionem: tunc enim, omni exclusâ querela, paternum amplecti compelletur judicium. §. 3. Quæ omnis sanctio suas radices extendat non solum ad filium vel filiam, sed etiam ad omnes personas, quæ de inofficioso querelam contra mortuorum ultima elogia possint movere. Dat. Kalend. Septemb. LAMPADIO & ORESTE COSS. 530.

*De legitima ab initio, vel ex post facto supplenda. 1. De fideicommissio conditionali vel in diem. 2. De tempore hujus actionis, & adeunda vel repudianda hereditatis: an querela transmittatur ad heredes.*

36. Idem A. Joanni P. P.

Scimus, antea Constitutionem 73 relatam fuisse, qua cautum est, Si pater minorem debita portione filio suo reliquisset, omnimodo, etsi 74 non adjiciatur, viri boni arbitratu repleti filio, attamen ipso jure inesse eandem repletionem. Quærebatur itaque, si quis rem donatam, vel inter vivos, vel mortis causa, (vel in legatis 75,) vel in testamento relictam agnoverit, & pro parte sua habuerit: deinde eadem res evicta, vel tota, vel pro parte fuerit; an debeat ex nostra Constitutione pars legitima post evictionem suppleri: vel si ex lege Falcidia minuantur legata, vel fideicommissa, vel mortis causa donationes, debeat tamen ex hoc casu supplementum introduci: ne, dum totam Falcidiam accipere heres nititur, etiam totum commodum hereditatis amittat? Sancimus itaque in omnibus istis casibus, sive in totum evictio subsequatur

(66. l. pen. in fin. infr. h. t. (67. l. 30. supr. eod. (68. Adde l. 6. supr. de transact. (69. v. l. 3. §. 1. & 2. l. 47. §. 1. ff. de bonis libert. (70. l. 3. infr. de collat. vide tamen l. 1. §. 3. ff. si a parente quis manum. l. ult. supr. de pact. (71. l. 8. supr. h. t. (72. Ex l. 30. supr. h. t. (73. d. l. 30. in pr. (74. §. 3. Inst. eod. (75. d. l. 30. in fin. pr.

sive in partem, emendari vitium, (&) vel aliam rem, vel pecunias restitui, vel repletionem fieri, nulla Falcidia interveniente: ut sive ab initio minus fuerit derelictum, sive extrinsecus qualiscumque causa interveniens, aliquod gravamen 76 imponat, vel in quantitate, vel in tempore: hoc modis omnibus repleti, & nostrum juvamen purum filiis inferri. Repletionem autem fieri ex ipsa substantia patris, non si quid ex aliis causis filius lucratus est, vel ex substitutione, vel ex jure accrescendi, (ut) puta usufructus: Humanitatis etenim gratia sancimus, ea quidem omnia quasi jure adventitio (eum) lucrari 77: repletionem autem ex rebus substantiæ (patris) fieri. §. 1. Cum autem quis, extraneo herede instituto, restituere eum filio suo hereditatem suam, cum moriatur, disposuerit, vel in tempus certum restitutionem distulerit: quia nostra Constitutio 78, quæ antea composita est, omnem dilationem, omnemque moram censuit esse subtrahendam, ut quarta pars pura mox filio restituatur, in hujusmodi specie, quid faciendum sit, dubitatur. Sancimus itaque quartæ quidem partis restitutionem jam nunc celebrari, non expectata nec morte heredis, nec temporis intervallo: reliquum autem, quod post legitimam portionem restat, tunc restitui, quando testator disposuit. Sic etenim filius suam habebit portionem integram, & qualem leges, & nostra constitutio definivit, & scriptus heres commodum, quod ei testator dereliquit, cum legitimo moderamine sentiet §. 2. Illud præterea sancimus, ut tempora inofficiosi querelæ ab adita 79 hereditate secundum Ulpiani opinionem currant, Herrenii Modestini sententia recusata, qui a morte testatoris illico cursum de inofficioso querelæ temporibus dabit: ut non liceat heredi, quando voluerit adire: ne per hujusmodi tramitem interim filius defraudeur debito 80 naturali. Sancimus itaque, ubi testator decefferit alio scripto herede, & speratur de inofficioso querelæ necessitatem habere scriptum heredem, si quidem præsto est in eadem commanens provincia intra sex mensium spatium: sin autem seorsum utraque pars in diversis provinciis degit, tunc intra annale tantummodo spatium simili modo per continuum a morte testatoris numerandum, omnimodo adire hujusmodi hereditatem, vel manifestare suam sententiam, quod hereditatem minime admittat: expeditus etenim ita tractatus inducitur filio memoratam movere querelam. Sin vero scriptus heres intra statuta tempora minime adierit: per officium quidem judicis heredem scriptum compelli hoc facere: in medio tamen tempore, id est, a morte quidem testatoris, sed ante aditam hereditatem, si decefferit filius, hujusmodi querelam (licet se non præparaverit) ad suam posteritatem transmittet: ad extraneos vero heredes tunc tantummodo, quando antiquis libris 81 insertam faciet præparationem. Datum Kal. Septemb. Constantinop. post Consulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

De quasi castrensi peculio.  
37. Idem A. Joanni P. P.

Cum antiquis legibus declaratum est, Ut militaria 82 testamenta de inofficioso querelam evadant: multi alii casus emergunt, in quibus dubitationes exortas sopiri necesse est. In castrensibus etenim peculii introducta est, & alia subdivisio, & peculii triplex invenitur causa. Vel enim paganum est peculium, vel castrense, vel quod medietatem inter utrumque obtinet: quod quasi 83 castrense nuncupatur. † Intali igitur peculio, quod quasi castrense appellatur, quibusdam personis licentia conceditur condere quidem testamenta, sed non quasi militibus 84, quo voluerint modo, sed communi, & licito, & consueto ordine observando, quemadmodum constitutum fuerat in Proconsulibus, & Præfectis legionum, & Præsidibus provinciarum, & omnibus generaliter, qui in diversis dignitatibus, vel administrationibus positi a nostra consequatur manu, vel ex publicis salariis quasdam largitates. † Sed hæ quidem personæ testamenti faciendi habent potestatem in ipsis tantummodo peculiiis 85, quæ jam enumerata sunt, id est, quasi castrensibus. † Sed & Veterani, qui tempore quidem militiæ sibi peculium acquisiverunt, militiam autem deposuerunt, testari, licito tamen modo non prohibentur. In his itaque omnibus quasi castrensibus peculiiis dubitabatur, si contra hujusmodi testamenta de inofficioso querelam extendi oporteret: Sed prior quæstio erat, si omnes, qui quasi castrense peculium habeant, testari in hoc pos-

sint: quia non omnibus passim, sed quibusdam personis hoc privilegii loco concessum est: quia militibus quidem, & Veteranis testamenta facere in castrensi peculio undique concessum fuerat: sed militibus quidem in expeditione constitutis jure suo: veteranis autem jure communi: de aliis autem personis omnibus, quæ non per speciale privilegium hoc acceperunt, si possint testari, dubitatum fuerat: utputa viris disertissimis patronis causarum, virisque devotissimis Memorialibus, & Agentibus in rebus, necnon Magistris studiorum liberalium, Archiatris quoque & (aliis) omnibus omnino, qui salaria, vel stipendia percipiunt publica. §. 1. In his itaque omnibus sancimus, (quia ad imitationem peculii castrensis quasi castrense peculium supervenit) omnes, qui tale peculium possident, super ipsis tantummodo rebus, quæ quasi castrensis peculii sunt, ultima condere (secundum 86 leges tamen) posse elogia: hoc nihilominus ei addito privilegio, ut neque eorum testamenta inofficiosi querela expugnentur. Si enim patronus 87 adversus res, quas libertus ejus ex castris acquisivit, sui juris indubitanter constitutus, etsi præteritus fuerit ab ingrato liberti, tamen contra hujusmodi peculium contra tabulas bonorum possessionem non habet secundum veterum legum sanctionem: quemadmodum oportet præfata peculia, quæ ad instar castrensis peculii introducta sunt, de inofficioso querelæ esse supposita. §. 2. Sed hoc obtinere oportet, donec in sacris parentum suorum constituti sunt hi, qui quasi castrense peculium possident: Si enim sui juris efficiantur, proculdubio est, eorum testamenta, & pro ipsis rebus, quas antea ex quasi castrensi peculio habebant, posse de inofficioso querelam sustinere: cum neque nomen peculii permanet, sed aliis rebus confunditur, & similem fortunam recipit, quemadmodum & ceteræ res eorum, quæ in unum congregantur ex omnibus patrimonio. Dat. Kal. Septemb. Constantinop. post Consulatum LAMP. & ORESTIS VV. CC. anno secundo 532.

TIT. XXIX.

DE INOFFICIOSIS I DONATIONIBUS.

Si mater filiis, vel extraneis donaverit.

1. Imp. PHILIPPUS A. Nicanori, & Papianz.

Si (ut allegatis) mater vestra ad eludendum 2 inofficiosi querelam, pene universas facultates suas, dum ageret in rebus humanis, factis donationibus, sive in quosdam liberos, sive in extraneos exhaust: ac postea vos ex duabus uncis fecit heredes, easque legatis, & fideicommissis exinanire gestivit: non injuria, juxta formam de inofficioso testamento constitutam subveniri vobis, utpote quartam partem non habentibus, desideratis. PP. XIV. Kal. Septemb. PHILIPP. A. & TITIANO COSS. 246.

Si pater filio in potestate, vel emancipato donaverit.

2. Imp. VALERIAN. & GALLIENUS AA. Acriz.

Si pater omne patrimonium suum impetu quodam immensa liberalitatis in filium effudit: aut in potestate (ejus) is permanet: & arbitri familiaris effuscundæ officio congruit, ut tibi quartam (partem) debitæ ab intestato portionis præstet incolumem: aut si emancipatus 3 is fuit, (&) quia donatio non indiget alieno adminiculo, sed suis viribus nititur juxta constitutiones: is, qui provinciam regit, ad similitudinem inofficiosi testamenti querelæ, auxilium tibi æquitatis impertiet. PP. VI. Kal. Aug. MAXIMO II. & GLABRIONE COSS. 257.

De testato, vel intestato.

3. Idem AA. Eliano.

Precibus quidem tuis proposita Rescripta eos parentes denotant, qui (cum) testamento facto vivi patrociniū suum immensis donationibus exinanissent, inane nomen heredum liberis reliquerunt: sed ad intestatos quoque eadem ratio æquitatis extenditur. PP. X. Kal. Novemb. ipsis IV. & III. AA. COSS. 258.

Si sit locus restitutioni in integrum.

4. Imp. DIOCL. & MAXIM. AA. Aristinz.

Si filius tuus immoderata liberalitatis effusione patrimonium suum exhaust: Præsidis provinciæ auxilio uteris: qui discussa fide veri, si in integrum restitutionem ex filii persona tibi competere ob improbabilem donationis enormitatem animadverterit, in removendis his, quæ perperam gesta sunt, tibi subveniet: ideoque non est tibi necessarium adversus immodicas donationes auxilium ad instar inofficiosi testamenti. Dat. VI. Id. Febr. MAXIMO XI. & AQUIL. COSS. 286.

(76. Auth. novissima, l. 32. supr. h. t. (77. Adde l. 6. in pr. infr. ad SC. Trebell. (78. l. 32. supr. h. t. (79. l. 8. §. 2. ff. eodem (80. v. Nov. 1. pr. §. 2. (81. l. 7. ff. h. t. (82. l. 27. §. 2. ff. eod. l. 9. l. 24. supr. eod. l. 50. supr. de episc. (83. l. ult. infr. qui testam. §. ult. Inst. de milit. testam. (84. v. l. 15. infr. de testam. milit. (85. l. ult. infr. qui testam.

(86. v. l. 35. pr. supr. h. t. (87. l. 3. §. 6. ff. de bon. libers. TIT. XXXIX. (1. Nov. 92. (2. l. 87. ff. de legat. 2. l. 16. pr. ff. de jur. patron. (3. v. l. 5. infr. h. t.

*De donatione in filios emancipatos collata, & de liberis  
supervenientibus.*

5. Iidem AA. Cottabeo.

Si totas facultates tuas per donationes vacuas fecisti, quas in emancipatos filios contulisti: id, quod ad submovendam inofficiosi testamenti querelam non ingratis 4 liberis relinqui necesse est, ex factis donationibus detractum, ut filii, vel nepotes postea ex quocumque legitimo matrimonio nati, debitum bonorum subsidium consequantur, ad patrimonium tuum revertetur. Dat. 11. Kal. Mart. MAXIMO 11. & AQUILINO COSS. 286.

*De eo, qui voluntatem agnovit. De restitutione in integrum.*

*De legitima portione.*

6. Iidem AA. Demetrianæ.

Cum donationibus in fratrem tuum collatis facultates patris tui exhaustas esse, eundemque patrem vestrum ea, quæ super fuerant codicillis inter vos divisisse proponas, si voluntatem ejus non agnovisti, nec beneficio ætatis adversus hæc juvari poteris, nec tantum dos a patre data, & fideicommissum continent, quantum ad submovendam querelam sufficiat, de enormitate donationum ad exemplum 5 inofficiosi testamenti Præses provinciæ jurisdictionis suæ partes exhibebit. PP. Kal. Maji, COSS. ut supra 286.

*Quatenus donatio revocatur.*

7. Iidem AA. Ammiano.

Si mater tua patrimonium suum ita profunda liberalitate in fratrem tuum evisceratis 6 opibus suis exhaustit, ut quartæ partis dimidium 7, quod ad excludendam inofficiosi testamenti querelam adversus te sufficeret 8, in his donationibus, quas tibi largita est, non habeas: quod immoderate gestum est, revocabitur. PP. v. Id. Maji, COSS. ut supra 286.

*De eo, quod uxor a marito sibi donatum filio communi donavit.*

9. Iidem AA. Auxanoni.

Si liqueat, matrem tuam intervertendæ 9 quæstionis inofficiosi causa patrimonium suum donationibus in unum filium collatis exhaustisse 10, cum adversus eorum cogitationes, qui consiliis supremum iudicium anticipare contendunt, & actiones filiorum exhauriant, aditum querelæ ratio deposcat: quod donatum est, pro ratione 11 quartæ ad instar inofficiosi testamenti convicti diminuetur. §. 1. Nam quod uxor a marito in se matrimonii tempore donationis causa collatum emancipato filio communi, consentiente domino, donavit, velut ex bonis patris (de cujus substantia prohibente matrimonio non 12 potuit exire) datum accipi, rationis est: in cujus bonis, si idem consilium & eventus comprehendatur: lex, quam de patrimonio matris ediximus, observabitur. PP. 111. Idib. Septembr. CC. COSS. 294.

*De tempore querelæ.*

9. Imp. CONSTANTINUS A. & JULIANUS  
Cæs. Olibrio.

Non convenit dubitari, quod immodicarum donationum omnibus querela ad similitudinem 13 inofficiosi testamenti legibus fuerit introducta: ut sit in hoc actionis utriusque vel una causa, vel similis existimanda, vel idem (&) temporibus & moribus. Dat. XIV. Kal. Jul. TAURO & FLORENTIO COSS. 361.

TIT. XXX.

DE INOFFICIOSIS I DOTIBUS:

1. Imp. CONSTANTINUS A. ad Maximum  
Præsidem Ciliciæ.

Cum omnia bona a matre tua in dotem dicantur exhausta, (leges) legibus concordare promptum est, ut ad exemplum inofficiosi testamenti adversus dotem immodicam exercendæ actionis copia tribuatur, & filiis conquerentibus emolumenta 2 debita conferantur. Dat. IV. Kalend. Julii, TATIANO & CEREALI COSS. 358.

TIT. XXXI.

DE PETITIONE I HEREDITATIS.

*De fisco & privatis. 1. De usuris & fructibus.*

1. Imp. M. ÆLIUS ANT. A. Augurino  
Proconsuli Africæ.

Senatusconsultum auctore Divo Hadriano 2 avo meo factum, quo cautum est, quid & quo tempore evista 3 hereditate restitui debeat, non solum ad fisci causas 4, sed etiam ad privatos hereditatis petitores pertinet. §. 1. Usuras vero pecuniarum ante litis contestationem ex die venditionis hereditariarum rerum ab eo factæ, qui antea possidebat, collectas, nec non etiam fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores 5 extiterint. Post litem 6 autem contestatam, tam fructus (non) venditarum rerum, non solum quos perceperunt, sed etiam quos 7 percipere poterant, quam usuras pretii rerum ante litis contestationem venditarum, ex die contestationis computandas, omnimodo reddere compellantur. PP. VI. Kal. Februarii. CLARO & CETHIGO COSS. 171.

*De emtore hereditatis & fructibus.*

2. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Marcello militi.  
Si post motam controversiam Menecratis bonorum partem dimidiam Musæus ab herede scripto quæstionis illatæ non 8 ignarus comparavit: tam ipse quasi malæ fidei possessor, quam heredes 9 ejus fructus restituere coguntur. Si vero venditionem lite antiquiorem esse, liquido probetur, ex eo die fructus restituantur, ex quo lis 10 in iudicium deducta est. Fructibus enim 11 augetur hereditas, cum ab eo possidetur, a quo peti potest. Emtor autem, qui proprio titulo possessionis munitus est, etiam singularum rerum jure convenitur. Dat. Kal. Jul. SEVERO A. 11. & VICTORINO COSS. 201.

*De exceptione rei judicatæ.*

3. Iidem AA. Epictetidi P.

Hereditas materteræ petita non infringit alterius hereditatis petitionem, quæ venit ex alia successione. Sed & si quæstionis titulus prior inofficiosi testamenti causam habuisset: judicatæ rei præscriptio non 12 obstaret eandem hereditatem ex alia causa vindicanti. PP. V. Idib. Augusti. GETA & PLAUTIANO COSS. 204.

*De compensatione.*

4. Imp. ANTON. A. Vitaliano.

In restituenda hereditate compensatio ejus habebitur, quod te in mortui infirmitatem, inque sumtum 13 funeris bona fide ex proprio tuo patrimonio erogasse probaveris. PP. Kalend. Martii, ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 214.

5. Idem A. Posthumiæ.

De hereditate, quam bona fide possidebas, si contra te pronunciatum est: in restitutione ejus detrahetur, quod creditoribus ejusdem hereditatis exsoluisse 14 te bona fide probaveris: nam repeti a creditoribus, qui suum receperunt, non potest. PP. VI. Kal. Junii, ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 214.

*De avo nomine nepotis hereditatem petente a tutoribus, quos non jure datos esse contendit.*

6. Imp. ALEX. A. Firmino.

Si putas non jure tutores datos nepotibus tuis, eo quod eos dicas in tua esse potestate: petere ab his hereditatem filii tui emancipati non moreris, cujus commodum ad te pertinere dicis: iudice statuturo, an a Præsidalibus actis discedendum sit, qui eis tutores dedit, cum in tua potestate negarentur esse. PP. X. Kalend. Jul. JULIANO 11. & CRISPINO COSS. 225.

*De usucapione, & longi temporis præscriptione.*

7. Imp. DIOCLET. & MAXIMIAN AA. & CC.  
Restitutæ.

Hereditatis petitionem, quæ adversus 15 pro herede, vel (pro) possessore possidentis exerceri potest, præscriptione longi temporis non submoveri, nemini incognitum est: cum mixtæ personalis actionis ratio hoc respondere compellat. A ceteris autem tantum specialibus in rem actionibus, vindicare posse manifestum est, si non agentis intentio per usucapionem, vel longum tempus explosa sit. PP. XI. Kalend. CC. Aug. COSS. 294.

TIT. XXXI. (1. Lib. 5. D. 3. (2. l. 20. §. 6. ff. h. t. (3. l. 17. ff. eod. (4. d. l. 20. ff. 9. (5. Confer. l. 36. §. 4. ff. eod. (6. l. 22. infr. de rei vindic. (7. l. 20. §. 11. l. 25. §. 4. juncto §. 7. ff. h. t. l. 78. ff. de reg. jur. (8. v. d. l. 20. §. 11. l. 25. §. 7. ff. h. t. adde l. 38. §. 7. in fin. ff. de usur. l. 8. ff. de re judic. (9. Adde l. 13. §. 3. ff. h. t. (10. v. l. 2. supr. eod. (11. l. 20. §. 3. ff. eod. (12. l. 14. supr. de inoff. testam. (13. l. 50. §. 1. ff. h. t. adde l. 28. ff. de religiof. (14. l. 31. pr. ff. h. (15. l. 9. l. 10. l. 11. ff. eod.

(4. Nov. 92. c. 1. in fin. (5. l. 2. in fin. supr. h. t. (6. Adde l. 87. §. 3. ff. de legat. 2. (7. l. 8. infr. h. t. (8. Immo vide Auth. novissima, supr. de inoff. test. (9. l. 1. supr. h. t. (10. d. l. 1. l. 7. supr. eod. (11. d. l. 7. (12. l. 6. infr. de donat. inter vir. & uxor. (13. v. l. 1. l. 2. l. 4. l. 6. l. 8. supr. h. t.

TIT. XXX. (1. v. supr. si adv. dotem. (2. v. Auth. novissima, supr. de inoff. testam.

*De statu testatoris inquirendo.*

8. Idem AA. &amp; CC. Hasterio.

**L**iber 16 necne fuerit testator, ante omnia 17 disquiri debet, cum hereditas petitur. Dat. iv Kal. Apr. CC. coss. 300.

*Si scripti heredes repudiaverint.*

9. Idem AA. &amp; CC. Demophilæ.

**S**i scripti heredes delatam tibi successione cognati (tui) repudiaverunt 18, & hanc honorar. o., vel civili jure quæstisti: res hereditarias, quæ in eadem causa durant, hereditatis petitione vindicare potes. Dat. iiii. Kal. Dec. Nicomedia, CC. coss. 300.

*Si filiusfam. hereditatem per longum tempus detinuit.*

10. Idem AA. &amp; CC. Theodosiano.

**S**i filiusfamilias delatam sibi hereditatem per longum 19 tempus detinuit: eo ipso (utpote agnita hereditate) patri suo ejus commodum acquisisse videtur. Dat. xiiii. Kal. Jan. CC. coss. 300.

*An possessor cogatur titulum suæ possessionis dicere.*

11. Imp. ARCAD. &amp; HONOR. AA. Æternali Proconsuli Asiæ.

**C**ogi possessorem ab eo, qui expetit, titulum suæ possessionis dicere 20, incivile est, præter eum scilicet, qui dicere cogitur 21, *utrum pro possessore, an pro herede possideat*. Dat. xii. Kal. April. ARCADIO IV. & HONORIO III. AA. coss. 396.

*De præjudicio, 3 De bona fide.*

12. Imp. JUSTINIAN. A. Juliano P. P.

**C**um hereditatis petitioni locus fuerat, exceptio adsumebatur, quæ tuebatur hereditatis petitionem, ne fieret ei præjudicium. Magnitudo etenim & auctoritas centumviralis iudicii non patiebatur, per alios tramites viam hereditatis petitionis infringi. Cumque multæ varietates & controversiæ veterum exorta sint, eas certo sine concludentes, sancimus, si quis hereditatis petitionem (vel susceperit) vel suscipere sperat 22, vel movere: alius autem superveniens, vel ex deposito, vel ex commodato, vel ex legato, vel ex fideicommissio, vel ex aliis causis inquietare, vel reum, vel agentem ex persona defuncti crediderit sibi esse necessarium: si quidem pro legato, vel fideicommissio hoc faciat, rem expeditæ quæstionis esse, cum possit scriptus heres cautione 23 interposita non differre hanc petitionem, sed recte exigere, vel legatum, vel fideicommissum sub ea cautela, vel satisfactione pro qualitate personarum. Quod si non obtinuerit ejus jura, restituet legatarius, vel fideicommissarius ei datam pecuniam cum usuris ex quarta centesimæ parte currentibus, vel agrum cum fructibus, quos percepit, vel domum cum pensionibus, scilicet in utroque eorum expensis antea necessariis & utilibus deductis: vel, si ipse maluerit hanc quidem contestari, expectare autem hereditatis petitionis eventum, hoc ei liceat facere, ut restitutio, si competeret cum legitimis augmentis legatario, vel fideicommissario accedat. §. 1. Sin autem ex contractibus defuncti agatur contra possessorem hereditatis, vel ejus rei, de qua agitur: si quidem res sint vel deposita, vel commodata, vel pignori data, vel alia, quæ extant: non differri sub prætextu hereditatis petitionis memoratum iudicium: quemadmodum si pro foenerata pecunia, vel alia personali actione agatur contra possessorem, vel petitorum, non debet iudicium differri, sed exitum suum accipere. Postquam enim hereditatis petitionis iudicium finem accipiat: tunc inter petitorum hereditatis, & possessorem rationibus contractis, non aliter possessor, si victus fuerit, hereditatem restituere compellitur, nisi pro omnibus, quæ rite ab eo gesta sunt, petitor ei satisfaciatur. 24. Quod si petitor victus fuerit, simili modo a possessore iudicis officio ei satisfiat, vel, si hoc fuerit prætermisum, negotiorum gestorum, vel ex lege conditione. §. 2. Sin autem libertates, vel a possessore, vel a petitore fideicommissariæ petantur, vel directæ ipso jure dicantur competere: annale tantummodo spatium expectetur a morte testatoris numerandum. Et si quidem hereditatis petitionis iudicium intra id spatium terminum accipiat, secundum eventum iudicii, & libertates vel effectum habeant, vel evanescant. Sin autem tempus annale emanaverit, tunc libertatis favore & humanitatis intuitu competant quidem 25 directæ libertates: ex fideicommissariis autem in libertatem servi eripiantur: ita tamen, si non falsum testamentum ap-

(16. l. 4. infr. commun. de success. l. 16. l. 19. ff. qui testam. (17. Adde l. 2. infr. de ordine cognit. (18. v. l. 1. ff. quis ordo in bon. possess. (19. Confer. l. 6. §. 3. ff. de acquir. vel omitt. hered. (20. Adde l. 2. l. 23. infr. de probat. (21. v. l. 12. ff. h. t. l. 36. pr. ff. de rei vind. l. 4. l. 20. pr. vers. idem est ff. de interrog. (22. v. l. 7. ff. h. t. (23. v. l. 9. infr. de legat. l. 3. §. 6. l. 8. ff. si cui plus, quam per leg. falc. (24. l. 4. supr. h. t. (25. v. l. 47. ff. de manum. testam. l. 8. in fin. ff. de inoff. testam.

probetur: sub ea scilicet conditione, ut si actores sint, vel alias ratiociniis suppositi, etiam postquam perveniant in libertatem, necessitas eis imponatur res hereditarias & rationes reddere: jure patronatus videlicet competente ei, qui ex legibus ad id possit vocari. §. 3. Illo (ne in posterum dubitetur) observando, ut (&) ipsa hereditatis petitio omnimodo bona 26 fidei iudiciis connumeretur. Dat. Kal. Septemb. Constantinop. LAMPADIO & ORESTE coss. 530.

## TIT. XXXII.

## DE REI VINDICATIONE. I

*De mancipiis bona, 1 vel mala fide possessis.*

1. Imp. SEVERUS &amp; ANTONINUS AA. Caecilæ.

**E**tiam per alienum servum bona fide 2 possessum ex re ejus, qui eum possidet, vel ex operis servi acquiri dominium, vel obligationem placuit. Quare si tu quoque bona fide possidisti eundem servum, & ex nummis tuis mancipia eo tempore comparavit: potes secundum juris formam uti defensionibus tuis, §. 1. Mancipium autem alienum mala 3 fide possidenti nihil potest acquirere: sed qui tenet, non tantum ipsum, sed etiam operas ejus nec non ancillarum 4 partus, & animalium foetus reddere cogitur. P. P. III. Non. Maji, Eboraci, FAUSTINO & RUFO coss. 211.

*De edificio.*

2. Imp. ANTONINUS A. Aristeneto,

**S**i inferiorem partem ædificii, quæ solum contingit, ad te pertinere probare potes: eam, quam vicinus (tuus) imposuit accessisse 5 dominio tuo non ambigitur. Sed & id, quod in solo 6 tuo ædificatum est, quoad in eadem causa manet 7, jure ad te pertinet. Si vero fuerit 8 dissolutum: ejus materia ad pristinum dominum redit, sive bona fide, sive mala 9 ædificium extructum sit: si non donandi animo 10 ædificia alieno solo imposita sint. P. P. XII. Kal. Nov. ANTONINO A IV. & BALBINO coss. 214.

*De venditione rei aliena.*

3. Imp. ALEXAND. A. Domitia.

**M**ater tua, vel maritus fundum tuum 11 invita, vel ignorante te vendere jure 12 non potuit: sed rem tuam a possessore vindicare etiam 13 non oblatio pretio poteris. Sin autem postea de ea venditione consensisti, vel alio modo proprietatem ejus amisisti: adversus emptorem quidem nullam habes actionem: adversus venditorem 14 vero de pretio negotiorum gestorum actionem exercere non prohiberis. P. P. III. Kal. Nov. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO coss. 227.

4. Imp. GORDIANUS A. Muniano militi Africa.

**A**dversus eos, qui a malæ fidei possessoribus fundum bona fide comparaverunt, ita tibi actio competit, si prius, quam usucapionem 15 impleverint, vel longæ possessionis præscriptionem adipiscerentur, dominium ad te pervenerit. P. P. XII. Kal. Nov. PIO & PONTIANO coss. 239.

*De mala fidei possessore.*

5. Idem A. Herafiano.

**D**omum, quam ex matris successione ad te pertinere, & ab adversa parte injuria occupatam esse ostendis: Præses provinciæ cum 16 pensionibus, quas percepit, aut percipere 17 poterat, & omni causa damni dati restitui jubebit. Ejus autem, quod impendit rationem haberi non 18 posse, merito rescriptum est: cum malæ fidei possessores, ejus, quod in rem alienam impendunt, non eorum negotium gerentes, quorum res est, nullam habeant repetitionem, nisi necessarios sumtus fecerint. Sin autem utiles: licentia eis permittitur sine læsione 19 prioris status rei eos auferre. P. P. II. Id. Febr. GORDIANO A. & AVIOLA coss. 240.

(26. §. 28. Inst. de action.

TIT. XXXII. (1. Lib. 6. D. 1. (2. l. 10. pr. & §. 4 l. 23 ff. de acquir. rer. dom. l. 1 §. 6. ff. de acquir. vel amitt. possess. pr. Inst. per quas pers. cuique acquir. (3. l. 22. ff. de acquir. rer. dom. l. 1 §. 6. ff. de acquir. vel amitt. possess. l. 14. l. 34. ff. de stip. serv. (4. l. 20. ff. h. t. (5. l. 28. ff. de acquir. rer. dom. (6. §. 29. Inst. de rer. div. (7. v. l. 2. in fin. infr. de servit. & aqua. (8. d. §. 29. (9. Vide tamen l. 7. §. 12. ff. de acquir. rer. dom. adde l. 38. ff. de hered. pet. (10. l. 14. ff. de donat. (11. v. tit. infr. de reb. alien. non alienand. (12. l. 11. ff. de reg. jur. l. 4. infr. de reb. alien. non alienand. (13. l. 23. infr. h. t. (14. l. 19. supr. de neg. gest. l. 20. infr. fam. ercisc. l. 1. infr. de reb. alien. (15. l. 3. infr. de prescript. longi temp. pr. & §. 7. Inst. de usucap. (16. l. 17. infr. l. 17. §. 1. ff. h. t. (17. l. 1. in fin. supr. l. 25. §. 4. ff. de hered. pet. l. 78. ff. de reg. jur. (18. Immo vide l. 38. ff. de hered. pet. (19. l. 38. ff. h. t. l. 32. §. 5. ff. de admin. & peric. tut.

*De rebus emtis ex pecunia deposita.*

6. Idem A. Ultronio.

**S**i (ex) ea pecunia, quam deposueras, is, apud quem collocata fuerat, sibi possessiones comparavit 20, ipsique traditæ sunt, tibi vel omnes tradi, vel quasdam ex his compensationis causa ab invito eo in te transferri, injuriosum est. P. P. v. Id. Jul. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De partu ancillæ.*

7. Impp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS N.

Cæs. Antonio.

**P**artum ancillæ matris 21 sequi conditionem, nec statum patris in hæc specie considerari, explorati juris est. P. P. XIII. Kal. Nov. PHILIPPO A. & TITIANO COSS. 246.

*De re emta ex pecunia militis.*

8. Idem A. & C. Philippo militi.

**S**i (ut proponis) pars adversa pecunia tua quædam nomine suo comparavit: Præses provinciæ utilem vindicationem obtentu militiæ 22 tibi eo nomine impertiri desideranti, partes 23 æquitatis non negabit. Idem mandati quoque, seu negotiorum gestorum actionem inferenti, tibi jurisdictionem præbebit. P. P. 11. Non. Mart. PRÆSENTE & ALBINO COSS. 247.

*De re dotali.*

9. Imppp. CARUS, CARINUS, & NUMERIANUS

AAA. Antonio.

**D**oce ancillam, de qua supplicas, dotalem 24 fuisse in notione præsidis: Quo patefacto, dubium non erit vindicari ab uxore tua nequivisse. P. P. 111. Kalend. Mart. CARO & CARINO AA. COSS. 283.

*De servis & de probationibus.*

10. Impp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.

Januario.

**C**um super vernis mancipiis nulla instrumenta te habere adseveres: in iudicio, in quo negotium cœptum esse proponitur, id, quod in precem contulisti, postulare debuisti. Iudex enim non ignorat servorum dominia etiam citra instrumentorum exhibitionem aliis probationibus, vel ipsorum interrogatione posse ostendi. P. P. G. 11. Id. Febr. ipsis IV. & 111. AA. COSS. 290.

*De satis, de plantis.*

11. Idem AA. & CC. Gallano.

**S**i quis sciens alienum agrum sevit, vel plantas imposuit: postquam (hæ) radicibus terram fuerint amplexæ 25, solo cedere rationis est. Domini enim magis segetem, vel plantas, quam per hujusmodi factum, solum suum facit. Sane eum qui bona fide possidens, hoc fecerit, per doli mali 26 exceptionem contra vindicantem dominium servare sumtus, juris auctoritate significatum est. Dat. Kal. Mart. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De ancilla vendita, & partu ejus.*

12. Idem AA. & CC. Alexandro.

**I**ncivile atque inusitatum est, quod postulas, ut mancipium, quod tradidisti, & eo 27 modo dominium ejus transfulisti, invito eo, ex nostro Rescripto 28 tibi assignetur. Unde intelligis, ancillæ semel emtoris factæ filios etiam postea natos, ejus 29 dominium sequi, cujus mater eorum eo tempore fuerit. Sane de pretio 30, si non hoc ante probatum fuerit te recepisse, conveni adversarium tuum. G. Id. April. AA. COSS. 293.

*De iudicio possessorio & petitorio.*

13. Idem AA. & CC. Cytichio.

**O**rdinarij juris est, ut, mancipiorum orta quæstione, prius exhibitis mancipiis de 31 possessione judicetur, ac tunc demum proprietatis causa ab eodem iudice decidatur. Dat. Id. Apr. AA. COSS. 293.

*De domo filii emta a matre.*

14. Idem AA. & CC. Septianæ.

**C**um a matre domum filii te scientem comparasse proponas: adversus eum dominium vindicantem, si matri 32 non successit, nulla te exceptione tueri potes. Quod si venditricis obtinet hereditatem, doli mali exceptione, pro qua portio ad eum hereditas pertinet, uti non prohiberis. Dat. 111. Kal. Jul. AA. COSS. 293.

*De duobus emtoribus in solidum.*

15. Idem AA. & CC. Aureliæ Philoxenæ.

**Q**uotiens duobus 33 in solidum prædium jure distrahitur: manifesti juris est, eum, cui priori traditum est, in detinendo dominio esse potiorum. Si igitur antecedente tempore te possessionem emisse, ac pretium exsolvisse apud Præsidem provinciæ probaveris: obtentu non datorum 34 instrumentorum expelli te (a) possessione non patietur. Erit sane in arbitrio tuo, pretium quod dedisti, cum usuris recipere: ita tamen, ut perceptorum fructuum ac sumptuum ratio habeatur: cum, & si ex causa donationis utriusque dominium rei vindicetis, cum, cui priori possessio soli tradita est, haberi potiorum conveniat. Dat. 11. Kal. Octob. AA. COSS. 293.

*De ædificato in area communi.*

16. Idem AA. & CC. Januario.

**S**i in area communi domum aliquis extruxit, hanc vobis communem juris fecit ratio: cujus portionem ab eo, qui bona fide possidens ædificavit, si velis vindicare, sumtus 35 offerre debes, ne doli mali possis exceptione submoveri. Dat. Id. Nov. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De eo, cui a domino denunciatum est, ne emeret.*

17. Idem AA. & CC. Sabino, & aliis.

**S**i fundum vestrum, vobis per denunciationem 36 admonentibus volentem ad emtionem accedere, quod distrahentis non fuerit, non recte is, contra quem preces funditis, comparavit, vel alio modo mala fide contraxit: tam fundum vestrum constitutum probantibus, quam fructus 37, quos cum mala fide percepisse fuerit probatum, aditus Præses provinciæ restitui jubebit. Dat. XII. Kal. Decemb. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De errore.*

18. Idem AA. & CC. Claro.

**R**e tua apud alium manente, proprietatis error 38 nihil tibi nocere potuit: nisi alia contra te causa intervenerit. G. 111. Kal. Jan. AA. COSS. 293.

*De probationibus.*

19. Idem AA. & CC. Callistrato.

**I**ndicia certa, quæ jure non respuantur, non minorem probationis, quam instrumenta 39, continent fidem: Quo jure, si de proprietate domus ambigis, negotiumque integrum est, uti non prohiberis. G. 11. Kal. Januar. Sirmii, AA. COSS. 293.

*Si servus detineat.*

20. Idem AA. & CC. Quartillæ.

**N**on servum, quem res tuas detinere adseveras, sed ejus dominum de rebus repetendis conveniendum esse perspicias. G. Kal. Mart. CC. COSS. 293.

*De in litem jurando.*

21. Idem AA. & CC. Hierocli.

**A** possidentibus vindicata mancipia, quorum dominium ad vos pertinere intenditis, si posteaquam impleveritis iattentionem, hæc non restituantur, jurisjurandi 40 solennitate secuta condemnatio procedere debet. Petita VI. Id. Oct. CC. COSS. 294.

*De fructibus.*

22. Idem AA. & CC. Diodotæ.

**C**ertum est, malæ fidei possessores, omnes fructus 41 solere cum ipsa re præstare: bonæ fidei vero 42, extantes: post autem litis 43 contestationem, universos. Dat. 111. Kalend. Novemb. CC. COSS. 294.

(20. l. 8. infr. si quis sibi vel alteri l. 12. infr. de jure dot. Vide tamen l. 8. infr. h. t. (21. l. ult. infr. de liberali caus. adde tamen l. ult. infr. de fugit. l. 22. l. 36. l. 44. infr. de decur. l. 15. infr. de murileg. l. 1. §. 2. ff. ad municip. l. 19. ff. de statu hom. l. 5. §. 2. ff. de rei vind. l. ult. ff. de acquir. rer. dom. (22. Adde l. 3. infr. arbitr. tut. l. 54. ff. de jure dot. (23. Immo vide l. 6. supr. h. t. (24. l. ult. infr. de serv. pign. dat. manum. immo vide l. 30. infr. de jure dot. (25. l. 5. §. 3. l. 53. ff. h. t. l. 9. ff. de acquir. rer. dom. §. 31. 32. Inst. de rer. divis. (26. l. 27. §. 5. l. 48. ff. h. t. (27. l. 20. supr. de pact. l. 9. §. 3. ff. de acquir. rer. dom. (28. v. l. 5. infr. de revoc. donat. (29. l. 7. supr. h. t. l. ult. ff. de acquir. rer. dom. (30. v. l. 19. ff. de contrah. emt. (31. l. 3. infr. de interdict.

(32. v. l. 3. infr. de reb. alien. non. alien. l. 14. infr. de evictio. l. 24. infr. de donat. l. 73. ff. de evictio. l. 1. §. 1. ff. de except. rei vend. l. 149. ff. de R. J. (33. Adde l. 71. ff. h. t. l. 9. §. 4. ff. de Publician. in rem act. l. 14. ff. qui potiores l. 31. in fin. ff. de act. emt. & vend. l. 6. infr. de hered. vend. (34. Immo vide l. 1. infr. de donat. (35. l. 4. infr. de ædif. priv. (36. l. 10. §. 3. ff. quæ in fraud. credit. (37. l. 5. supr. h. t. l. 25. §. 4. ff. l. 1. in fin. supr. de her. petit. (38. l. 29. in fin. supr. de transact. l. 22. infr. famil. ercisc. l. 20. l. 23. in fin. inf. de locato. l. 35. ff. de acquir. rer. dom. (39. l. 1. infr. de fide instrum. (40. l. 1. l. 2. ff. de in litem jur. v. inf. de in lit. jur. (41. l. 3. l. 17. supr. h. t. l. 3. infr. de condit. ex lege. §. 35. Inst. de rer. divis. l. 1. in fin. inf. de fide & jure hasta §. 2. Inst. de off. jud. l. 25. pr. ff. de usur. (42. l. 48. ff. de acquir. rer. dom. l. 25. §. 1. l. 45. ff. de usuris. l. 78. ff. h. t. (43. v. l. 1. supr. de petit. hered. S)



*Si emtor conveniatur.*

23. Iidem AA. & CC. Magnifero.

**S**i mancipium tuum per vim, vel furtum ablatum, alii ex nulla justa causa distraherunt: vindicanti tibi dominium solvendi pretii 44 nulla necessitas irrogetur. x. Kal. Dec. CC. coss. 294.

*De possessione sine justo titulo.*

24. Iidem AA. & CC. Juliano.

**N**ullo justo 45 titulo precedente possidentis, ratio juris quæ-  
rere dominium prohibet. Idcirco cum etiam usucapio cesserit,  
intentio domini nunquam absumitur. Unde hoc casu postliminio  
reverso citra beneficium actionis 46 rescissoria, directa permanet  
integra vindicatio. D. x. Kal. Dec. CC. coss. 294.

*De pensionibus rei pro alio solutis.*

25. Iidem AA. & CC. Eugnomio.

**S**olemnibus pensionibus rei pro alio satisfaciendam, non inter-  
veniente venditione, solutionis causa minime dominum facit.  
Dat. xvi. Kal. Decembr. Nicomedia, CC. coss. 294.

*De litis contestatione.*

26. Iidem AA. & CC. Heliodoro.

**M**oræ litis causam possessoris non instruunt ad inducendam  
possessionis præscriptionem, quæ post litem 47 contestatam  
in præteritum æstimatur. Dat. Id. Dec. CC. coss. 294.

*De emtore.*

27. Iidem AA. & CC. Philadelpho.

**S**ervum emtor non traditum sibi præsentem 48 vindicare non  
potest. G. xii. Kal. Jan. Nicomedia, CC. coss. 294.

*De probatione.*

28. Iidem AA. & CC. Sopatro.

**R**es alienas possidens, licet justam tenendi causam nullam ha-  
beat, non 49 nisi suam intentionem implenti restituere co-  
gitur. Dat. viii. Kal. Jan. CC. coss. 294.

### TIT. XXXIII.

#### DE USUFRUCTU I ET HABITATIONE 2, ET MINISTERIO SERVORUM. 3

##### *De usufructu. De cautione ab usufructuario præstanda.*

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Posidonio.

**S**i usufructus omnium bonorum testamento uxoris marito reli-  
ctus est: quamvis 4 cautionem a te prohibuerit exigi, (tamen)  
non aliter a debitoribus solutam pecuniam accipere poteris, quam  
oblata secundum formam Senatusconsulti 5 cautione. P. P. G.  
Kal. Oct. ANULINO & FRONTONE coss. 200.

*De obligatione proprietatis.*

2. Iidem AA. Felici.

**V**erbis testamenti, quæ præcibus inseruisti, usumfructum lega-  
tum tibi animadvertimus. Quæ res non impedit proprietatis  
dominum obligare creditori proprietatem, manente scilicet inte-  
gro usufructu tui juris. P. P. vi. Id. Maji, ANTONINO A. II.  
& GETA II. coss. 206.

*De morte usufructuarii, i. vel proprietarii.*

3. Imp. ANTONINUS A. Antoniano.

**S**i patri tuo usufructus legatus est, defuncto eo nihil ad te  
pertinet: cum morte 6 ejus, cui fuerat legatus, vel alio  
modo acquisitus, ad proprietatem regredi solet. §. 1. Usufru-  
ctuario autem superstitie, licet dominus 7 proprietatis rebus hu-  
manis eximatur, jus utendi fruendi non tollitur. P. P. III. Kal.  
Aug. ANTONINO A. IV. & BALBINO coss. 214.

(44. l. 3. sup. h. t. l. 2. inf. de furt. l. 2. inf. ne rei domin. vind. præscript. submov. l. 1. in fin. inf. de præscript. 30. vel 40. ann. l. 32. §. 4. ff. de admin. & peric. tut. (45. l. ult. inf. ne de statu def. l. 7. inf. de acquir. & retin. poss. (46. v. l. 18. inf. de postlim. (47. l. 10. inf. de acquir. & retin. poss. l. 2. l. 10. inf. de præscr. longi temp. (48. l. 20. sup. de pact. adde l. 8. inf. de act. emt. l. 50. ff. h. t. l. 1. §. 21. l. 3. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss. (49. l. 4. sup. de edendo. l. 2. inf. de probation. l. ult. ff. de acquir. vel amitt. poss. §. 4. Inst. de interdict.

TIT. XXXIII. (1. Lib. 7. D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 9. Lib. 2. Inst. 4. (2. Lib. 7. D. 8. lib. 2. Inst. 5. l. 11. l. 13. inf. h. t. (3. Lib. 7. D. 7. l. 9. inf. h. t. (4. l. 7. inf. l. 6. pr. ff. ut in poss. legat. l. 12. ff. usufruct. quemadm. cav. (5. Immo v. d. l. 12. (6. l. 10. l. 12. l. 16. inf. h. t. l. 3. in fin. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 8. ff. de annuis. l. 22. l. 29. ff. de usu, & usufr. leg. §. 3. Inst. de usufr. (7. v. l. 8. in fin. ff. de peric. & comm. rei vendita.

*De cautione ab usufructuario præstanda.*

4. Imp. ALEXAND. A. Verbicio.

**U**sufructu constituto, consequens est, ut satisfactio boni & viri  
arbitratu præbeatur ab eo, ad quem id commodum perve-  
nit, quod nullam læsionem ex usu proprietati adferat. Nec inter-  
est, si ex testamento, si ex voluntario contractu 9 usuf-  
ructus constitutus est. P. P. G. Id. Mart. ALEX. A. II. & MAR-  
CELLO coss. 227.

*De fructibus post finitum usumfructum perceptis.*

5. Idem A. Evocato & aliis.

**S**i pater usumfructum prædiorum in tempus 10 vestrae pubertatis  
matri vestrae reliquit: finito usufructu postquam vos adole-  
vistis, posterioris temporis fructus perceptos ab ea repetere po-  
testis, quos nulla ratione sciens de alieno percepit. P. P. Kal.  
Ap. ALEXANDRO A. II. & MARCELLO coss. 227.

*De marito oppignorante.*

6. Idem A. Stratonica.

**I**nterest, usumfructum solum maritus tuus in dotem acceperit,  
an proprietatem quidem doti data sit, verum pactum intercessit,  
ut moriente eo tibi eadem possessio redderetur: nam usufructuarius  
quidem proprietatem pignori non potuit: qui autem proprie-  
tatem æstimaram in dotem accepit, non ideo minus obligare  
eam potuit: quoniam soluto matrimonio restituenda tibi æstimatio  
ejus fuit. P. P. Kal. Jul. AGRICOLA, & CLEMENTINO coss. 231.

*De impensis.*

7. Imp. GORD. A. Ulpiano militi.

**E**um, ad quem usufructus pertinet, facta 11 testata suis sumti-  
bus præstare debere, explorati juris est. Proinde si quid ul-  
tra 12, quam impendi debeat, erogatum potes docere, solemniter  
reposes. P. P. Kal. Febr. ARIANO & PAPO coss. 244.

*De temporis præscriptione.*

8. Imp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA.  
& CC. Etheroni.

**N**eque fructuarius 13 ad obtinendam proprietatem rerum, qua-  
rum usufructum habet, neque successores ejus, ulla temporis  
ex ea causa tenentes præscriptio munit. vi. Kal. Jul. AA. coss. 293.  
*De jure alienandi, vel manumittendi. De ministerio servorum relicto.*

9. Iidem AA. & CC. Auxanusa.

**U**sufructu matri tuæ prædiorum, & mancipiorum relicto, tam  
alienatio 14, quam manumissio 15 interdicta est. Sane man-  
cipia, quorum testamento ministerium 16 matri relicto est,  
cum in his dominium non habeat, nec tradendo cuiquam, nec  
manumittendo ad testatoris heredem pertinentia, quicquam facit.  
Dat. Kal. Dec. AA. coss. 293.

*De morte ejus, quæ usumfructum conduxit.*

10. Iidem AA. & CC. Pomponio.

**S**i domina proprietatis uxori tuæ usumfructum locavit sub certa  
annua præstatione: morte conductricis 17, ei, quæ locavit,  
etiam utendi fruendi causa non est deneganda. xiiii. Kal. Jan.  
Sirmii, AA. coss. 293.

*De habitatione. De morte.*

11. Iidem AA. & CC. Theodoro.

**H**abitatio morte 18 finitur, nec proprietatem, qui habitatio-  
nem habuit, legando, domini vindicationem excludit.  
*In recentioribus codicibus hæc adjiciuntur:* Dat. 15. Kal. Nov.  
Constantin. post Consulatum LAMPAD. & ORESTIS VV. CC. 531.  
*quæ tamen rejicienda omnino sunt, non solum quod in vetustis  
codicibus desiderantur, sed etiam quod non convenient Diocletiani  
& Maximiani temporibus.*

*De usufructu sub certo tempore, in quod quis pervenerit.*

12. Imp. JUSTINIANUS A. Juliano P. P.

**A**mbiguitatem antiqui juris decidentis sancimus, si quis uxori  
sux, siue alii cuiquam usufructum reliquerit sub certo  
tempore 19, in quod vel filius ejus, vel quisquam alius pervenerit,  
stare usufructum in annos (singulos 20,) in quos testator statuit:  
siue persona, de cujus ætate compositum est, ad eam pervene-

(8. l. 1. sup. l. 13. pr. ff. h. t. l. 1. ff. usufr. quemadm. cav. (9. d. l. 1. §. 2. l. 3. pr. ff. h. t. l. 8. in fin. ff. de peric. & commodo. (10. l. 12. inf. h. t. l. 3. pr. ff. quib. mod. ususfr. (11. l. 7. §. 2. ff. h. t. (12. l. 10. in fin. ff. de damno infect. l. 38. in fin. ff. de her. pet. l. 14. ff. de doli mal. & met. except. (13. §. 4. vers. fructuarius. Inst. per quas pers. cuique acquir. l. 10. in fin. ff. de acquir. rer. dom. (14. v. l. 6. sup. h. t. (15. l. 1. vers. fin. autem usufructuarius. inf. communia de manum. (16. l. 4. inf. de his qui a non domin. (17. Adde l. 8. in fin. ff. de per. & commodo rei vend. (18. l. 10. ff. de cap. min. l. 10. §. 3. ff. de usu & habit. (19. l. 5. sup. l. 4. ff. h. t. (20. l. 37. ff. eod. l. 3. pr. ff. quib. mod. ususfr. rit,

rit, siue non. Neque enim ad vitam hominis respexit, sed ad certa curricula: nisi ipse, cui usufructus legatus sit, ab hac luce fuerit substractus: tunc enim ad posteritatem eius usufructum transmitti non est (penitus) possibile: cum morte 21 usufructum penitus extinguatur, juris indubitati sit. † Si autem talis fuerit inserta conditio: *Donec in furore filius, vel alius quisquam remanserit, vel in aliis similibus casibus, quorum eventus in incerto sit: si quidem respuerit filius, vel alius, pro quo hoc dictum est, vel conditio exstiterit, usufructum finiri, sin autem adhuc is in furore constitutus decesserit, tunc quasi in usufructuarii vitam eo relicto 22, manere usufructum apud eum. Cum enim possibile erat usque ad omne vitæ tempus usufructuarii non ad suam mentem venire furentem, vel conditionem impleri: humanissimum est, ad vitam eorum usufructum extendi. Quemadmodum etenim si decesserit usufructuarius ante impletam conditionem, vel furorem finitum, extinguatur usufructus: ita humanum est, extendi eum in usufructuarii vitam; etsi antea decesserit furiosus, vel alia conditio defecerit. Dat. Kal. Aug. Constantinop. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.*

*De habitatione. De iure locandi.*

13. Idem A. Juliano P. P.

Cum antiquitas dubitabat, usufructu habitationis legato, & primo quidem, cui similis esset, utrumne usui 23, vel usufructui, an neutri eorum, sed jus proprium, & specialem naturam sortita esset habitatio; postea autem si posset is, cui habitatio legata esset, eandem locare, vel dominium sibi vindicare: auctorum iurium decedentes, compendioso responso omnem huiusmodi dubitationem rescamus. † Et, si quidem habitationem (quis) reliquerit, ad humaniorem declinare sententiam nobis visum est, & dare legatario etiam locationis 24 licentiam. Quid enim distat siue ipse legatarius maneat, siue alii cedat, ut mercedem accipiat? Et multo magis, si habitationis usufructum reliquerit: cum & nimis subtilitati satisfactum videatur, etiam nomine usufructus addito. In tantum etenim valere habitationem volumus, ut non antecellat usufructum, nec dominium habitationis speret legatarius, nisi specialiter evidentissimis probationibus ipse legatarius possit ostendere, & dominium eius domus (sibi) esse relictum: tunc etenim voluntati testatoris per omnia obediendum est. † Quam decisionem locum habere censemus in omnibus locis, quibus habitatio constitui potest. Dat. xviii. Kal. Oct. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*De usufructu. De nuda proprietate legata.*

14. Idem A. Juliano P. P.

Antiquitas dubitabat, si quis fundum vel aliam rem cuidam testamento relinqueret, quatenus usufructus 25 apud heredem maneret, si huiusmodi constaret legatum? Et quidam inutile legatum esse existimabant: quia usufructus numquam ad suam rediret proprietatem, sed semper apud heredem remaneret: (& forsitan hoc existimabant, quia & secundus heres, & deinceps successores unius esse videantur;) nec possit huiusmodi usufructus secundum veterem distinctionem solitis modis extinguatur. Alii autem huiusmodi legatum non esse respuendum existimaverunt. Tales altercationes decedentes, sancimus & huiusmodi legatum firmum esse, & talem usufructum una cum herede finiri: & illo moriente, vel aliis legitimis modis eum amittente, expirare. Quare enim iste usufructus sibi tale vindicet privilegium, ut (a) generali interemptione usufructus ipse solus excipiat? quod ex nulla induci rationabili sententia manifestissimum est. Et propter hoc & usufructum finiri, & ad proprietatem suam redire, & utile esse legatum sancientes, huiusmodi paucissimis verbis totam eorum ambiguitatem delevimus. Dat. xv. Kal. Oct. LAMPADIO & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*Si pars servi, per quem usufructus acquisitus est, alienetur.*

15. Idem A. Juliano P. P.

Inter antiquam prudentiam dissensio incidit; si per servum usufructus domino fuerit acquisitus, & ex quibusdam casibus (multi 26 enim (casus) rebus incidunt mortalium) pars huius servi ad alium perveniat: utrum omnis usufructus, qui antea per servum ad aliquem pervenerit, apud eum remaneat, an totus

tollatur, vel ex parte diminuatur, ex parte autem apud eum resideat. Et super huiusmodi dubitatione tres sententiae vertebantur. Una, quæ dicebat, ex particulari alienatione servi totum (usufructum) diminui. Alia, in tantum usufructum diminui, in quantum & servus alienaretur. Tertia, quæ definiebat partem (quidem) servi posse alienari: totum autem usufructum apud eum remanere, qui antea servum in solidum habebat. Et in novissima sententia summum auctorem juris scientiæ Salvium Julianum esse invenimus. Nobis autem hæc decidentibus placuit, Salvii Juliani admitti sententiam, & aliorum, qui in eadem fuerunt opinione, quibus humanitas visum est, non interemptionem usufructus studiosam esse, sed magis retentionem: quatenus, etsi pars servi alienetur, tamen neque pars usufructus depereat, sed maneat secundum suam naturam integer atque incorruptus: & quemadmodum ab initio fixus est, ita & conservetur, ex huiusmodi casu nullo deterioratus modo. Dat. x. Kal. Oct. LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*Quibus modis usufructus vel actio de usufructu tollitur.*

16. Idem A. Juliano P. P.

Corruptionem 27 usufructus multiplicem esse veteribus placuit, vel morte 28 usufructuarii, vel capitis diminutione 29, vel non 30 utendo, vel aliis 31 quibusdam non ignoratis modis. Sed de usufructu quidem hoc indubitatum fuerat: de personali autem actione, quæ super usufructu nascitur, siue in stipulationem 32 usufructus deductus sit, siue ex testamento relictus, dubitabatur: morte quidem usufructuarii, & capitis diminutione eam tolli omnibus concedentibus: non utendo autem, si per annum vel biennium forsitan (eundem) usufructum non petierit usufructuarius, si personalis actio tollatur, altercantibus? §. 1. Sed nos hoc decedentes sancimus, non solum actionem, quæ de usufructu nascitur, sed nec ipsum usufructum non utendo cadere, nisi tantummodo morte usufructuarii, & ipsius rei interitu: sed usufructum, quem sibi aliquis adquisivit, hunc habeat, dum vivit, intactum: cum multæ 33, & innumerales causæ rebus incidant mortalium, per quas homines jurgiter retinere, quod habent, non possunt: & est satis durum, per huiusmodi difficultates amittere, quod semel possessum est: nisi talis exceptio 34 usufructuario opponatur; quæ, etiamsi dominium vindicaret, posset eum præsentem, vel absentem excludere. §. 2. Sed neque per omnem 35 capitis diminutionem huiusmodi detrimentum imminere nostris patimur subjectis. Quare enim si filiusfamilias fuerit is, qui usufructum habet, forte ex castrensi peculio, ubi nec patri usufructus acquiritur, ei possessum, per emancipationem eum amittat? Sed secundum quod definitum est, tunc eum tantummodo desinere, cum usufructuarius, vel res pereat, & tantummodo eum cum anima vel rei substantia expirare, nisi prædictæ exceptionis vigor reclamaverit: excepta videlicet tali capitis diminutione, quæ vel libertatem vel civitatem Romanam possit adimere: tunc etenim usufructus omnimodo ereptus, ad suam revertatur proprietatem. Dat. Kal. Oct. Constantinop. LAMPADIO, & ORESTE VV. CC. COSS. 530.

*De usufructu filiosam. vel servo relicto.*

17. Idem A. Joanni PP.

Ex libris Sabinianis quaestio nobis relata est, per quam dubitabatur: Si usufructus per servum acquisitus, vel per filiumfamilias, capitis diminutione filii magna, vel media, vel morte, vel emancipatione, vel servi quacumque alienatione, vel morte, vel manumissione possit adhuc remanere? Et ideo sancimus in huiusmodi casibus, neque si servus vel filiusfamilias in præfatos casus inciderit, interrumpi patri, vel domino usufructum, qui per eos acquisitus est, sed manere intactum. Neque si pater magnam capitis diminutionem, vel mediam passus fuerit, vel morte ab hac luce fuerit exemptus, usufructum perire: sed apud filium remanere, etiamsi heres a patre non relinquatur: Usufructum enim per eum acquisitum, apud eum remanere etiam post patris calamitatem oportet: cum plerumque verisimile sit testatorem contemplatione (magis filii,) quam patris, usufructum ei reliquisse. Dat. xv. Kal. Nov. Constantinop. post Consulatum LAMPADII, & ORESTIS VV. CC. 531.

(21. v. l. 3. supr. h. t. (22. Immo vide l. ult. in fin. inf. eod. (23. l. 10. ff. de usu & hab. (24. §. 5. Inst. h. t. (25. v. l. 6. pr. ff. de usufr. l. 4. ff. si usufr. per. §. 1. Inst. de usufr. (26. l. 16. §. 1. infr. h. t. l. ult. infr. de præscript. 30. vel 40. annor.

(27. §. 3. Inst. de usufr. & ff. quib. mod. usufr. amit. (28. v. l. 3. supr. h. t. (29. l. 1. ff. quib. mod. usufr. vide tamen l. 10. ff. de capite min. (30. d. §. 3. l. 14. l. 28. ff. quib. mod. usufr. amit. (31. d. §. 3. (32. v. l. 4. supr. h. t. (33. l. 15. supr. h. t. l. ut. inf. de præscript. 30. vel 40. annor. (34. l. 13. inf. tit. prox. (35. §. 1. in fin. Inst. de adquis. per adrog.

## TIT. XXXIV.

## DE SERVITUTIBUS I ET AQUA.

*De eo, qui adificando luminibus officit. De longi temporis consuetudine.*

1. Imp. ANTONINUS A. Calphurniaz.

Si quas actiones adversus eum, qui ædificium 2 contra veterem formam extruxit, ut luminibus tuis officeret, competere tibi existimas; more solito (per judicem) exercere non prohiberis: Is, qui iudex erit, longi temporis consuetudinem 3, vicem servitutis obtinere sciet: modo si is, qui pulsatur, nec vi, nec clam, nec precario possidet. PP. 111. Idib. Novembr. GENTIANO & BASSO COSS. 212.

*De eo, qui sciente domino aquam duxit.*

2. Idem A. Martiali.

Si aquam 4 per possessionem Martialis eo sciente duxisti: servitutem exemplo rerum immobilium tempore, quæstisti. Quod si ante id spatium ejus usus tibi interdictus est, frustra sumtus 6 in ea re factos præstari tibi postulas: cum in aliena possessione operis facti dominium 7 quoad in eadem causa manet, ad eum pertineat, cujus est possessio. PP. Kalend. Jul. LÆTO & CEREALI COSS. 216.

*De prædio provinciali.*

3. Imp. ALEXANDER A. Ricanæ.

Et in provinciali prædio constitui servitus aquæductus, vel alia servitutes possunt: si ea præcesserint, quæ servitutes constituunt: tueri enim placita inter contrahentes debent. Quare non ignorabis, si priores possessores aquam duci per prædia prohibere jure non potuerint, cum 8 eodem onere perferendæ servitutis transire ad emtores eadem prædia posse. PP. Kal. Maji, MAXIMO 11. & AELIANO COSS. 224.

*De aqua invito domino non ducenda.*

4. Idem A. Corneliano.

Aquam, quæ in alieno loco oritur, sine voluntate 9 ejus, ad quem usus ejusdem aquæ pertinet, Prætoris edictum non permittit ducere PP. Id. Aug. MAXIMO 11. & AELIANO COSS. 224.

*De eo, quod contra servitutem debitam extructum est.*

5. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C.

Luciano militi.

Si quid pars adversa contra servitutem ædibus tuis debitam injuriose extruxit: Præses provinciæ revocare ad pristinam 10 formam, damni etiam ratione habita pro sua gravitate curabit. PP. Kal. Febr. PRÆSENTE & ALBINO COSS. 247.

*De aqua invito domino non ducenda.*

6. Imp. CLAUDIUS A. Prisco.

Præses provinciæ usu aquæ, quam ex fonte juris tui profluere al- legas, contra statutam consuetudinis formam carere te non permittet: cum sit durum & crudelitati proximum, ex tuis prædiis aquæ agmen, ortum sitientibus agris tuis, ad aliorum usum viciniorum injuria propagari. PP. VII. Kal. Maji, CLAUDIO A. & PATERNO COSS. 270.

*De vetere consuetudine.*

7. Imp. DIOCLET. & MAXIMIAN. AA. & CC.

Juliano PP.

Si manifeste doceri possit, jus aquæ ex vetere more atque observatione per certa loca profluentis utilitatem certis fundis irrigandi causa exhibere: Procurator noster, ne quid contra veterem (formam) atque solennem morem innovetur, providebit. PP. IV. Non. Maji, MAXIMO 11. & AQUILINO COSS. 286.

*De ædificio altius sublato: de fenestra in pariete vicini facta.*

8. Idem AA. & CC. Aniceto.

Altius quidem ædificia tollere 11, si domus servitutem non debeat, dominus ejus minime prohibetur. In pariete vero tuo, si fenestram Julianus vi vel clam fecisse convincatur: sumtus suis opus tollere 12, & integrum parietem restituere compellitur. Dat. Kal. Jan. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De ædificio altius sublato.*

9. Idem AA. & CC. Zosimo.

Si in ædibus vicini tibi debita servitute, parietem altius 13 ædificavit Heraclius: novum opus suis sumtus per Præsidem provinciæ tollere compelletur. Sed si te servitutem habuisse non probetur, tollendi altius ædificium vicino non 14 est interdictum. PP. v. Kal. Julii, Sirmii, AA. COSS. 293.

*Si servitus aqua ducenda deberi negetur.*

10. Idem AA. & CC. Nymphidius.

Si tibi servitutem aquæ (ducendæ) deberi Præses animadvertit, nec hac te non utentem spatio temporis 15 amisisse perspexerit, uti te iterum jure proprio providebit. Nam si hoc minime probetur, loco proprio facto opere, dominus fundi continere aquam, & facere 16, quo minus ager tuus irrigari possit, non prohibetur. PP. XI. Kal. Febr. Sirmii, CC. COSS. 294.

*De itinere, actu, via.*

11. Idem AA. & CC. Aureliano.

Per agrum quidem alienum, qui servitutem non debet, ire vel agere 17 vicino minime licet: Uti autem via publica nemo 13 recte prohibetur. Dat. XI. Kal. Nov. Sirmii, CC. COSS. 294:

*De termino aquæ ducendæ.*

12. Idem AA. & CC. Valerio.

Non modus prædiorum 19, sed servitus aquæ ducendæ terminum facit. PP. 111. Kal. Jan. CC. COSS. 294.

*An servitus non utendo amittatur.*

13. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni PP.

Sicut usufructum, qui non 20 utendo per biennium in soli rebus, per annale autem (tempus) in mobilibus vel se moventibus diminuebatur, non passi sumus hujusmodi sustinere compendiosum interitum, sed ei decennii vel viginti annorum dedimus spatium: ita & in ceteris servitutibus obtinendum esse censuimus, ut omnes servitutes non utendo amittantur, non biennio, (quia tantummodo soli rebus annexæ sunt) sed decennio 21 contra præsentem, vel viginti spatio annorum contra absentes: ut sit in omnibus hujusmodi rebus causa similis, explosis differentiis. Dat. XV. Kal. Nov. Constant. post Consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. COSS. 531.

*1 Ne ita ædificetur, ut accessus venti ad aream, & conculcatio fructuum impediatur.*

14. Idem A. Joanni PP.

Cum talis quæstio in libris Sabinianis verteretur, quidam enim pactus erat cum vicino suo, ut liceret ei, vel per se, vel per suos homines per agrum vicini transitum facere, iterque habere uno tantummodo die per quinquennium, quatenus ei licentia esset in suam sylvam inde transire, & arbores excidere, vel facere quidquid (necessarium) ei visum fuisset: & quæretur, quando hujusmodi servitus non utendo amitteretur? Et quidam putarent, si in primo vel secundo quinquennio per eam viam itum non esset, eandem servitutem penitus tolli, quasi per biennium ea non utendo deperdita, singulo die quinquennii pro anno numerando. Alii (autem) aliam sententiam eligentibus: nobis placuit ita causam dirimere, ut, quia jam per legem 22 latam a nobis prospectum est, ne servitutes per biennium non utendo deperant, sed per decem vel viginti annorum curricula, & in proposita specie, si per quatuor quinquennia, nec uno die vel ipse, vel homines ejus eadem servitute usi sunt 23, tunc eam penitus amittat viginti annorum desidia. Qui enim in tam longo prolixoque spatio suum jus minime consecutus est, sera poenitentia ad pristinam servitutem reverti desiderat. §. 1. Cum autem apertissimi juris est, fructus aridos conculcatione, quæ in area fit, suam naturam & utilitatem ostendere: aliquis vicinum suum vetabat, ita ædificium extollere juxta aream suam, ut ventus excluderetur, & paleæ ex hujusmodi obstaculis secerni a frugibus non possent, quasi vetito vento suam vim per omnem locum inferre ex hujusmodi ædificatione, cum secundum situm regionis, (&) auxilium venti aream accedit. Sancimus itaque nemini licere sic ædificare, vel alio modo versari, ut idoneum ventum & sufficientem ad præfatum opus infringat, & inu-

TIT. XXXIV. (1. Lib. 8. D. Lib. 2. Inst. 3. (2. Adde l. 8. l. 9. infr. h. t. l. 12. §. 1. infr. de adif. priv. l. 11. ff. de serv. præd. urb. (3. l. 1. in fin. l. 2. pr. ff. de aqua & aquæ pluv. arc. (4. l. 10. ff. si servitus. (5. d. l. 10. l. 5. §. 3. ff. quod vi aut clam. (6. Vide tamen l. 38. ff. de hered. p. t. (7. l. 2. supr. de rei vind. (8. l. 23. §. 2. ff. de serv. præd. rust. l. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. (9. v. l. 8. ff. de aqua & aquæ pluv. arcend. (10. l. 1. supr. h. t. (11. d. l. 1. l. 9. infr. eod. l. 24. pr. l. 26. ff. de damno infect. (12. d. l. 9. infr. h. t.

(13. l. 1. l. 8. supr. eod. (14. v. l. 1. in fin. pr. l. 24. ff. de serv. præd. urb. l. ult. §. 4. ff. quod vi aut clam. (15. v. l. 13. infr. h. t. (16. Adde l. 6. supr. eod. (17. Adde l. 16. ff. de serv. præd. rust. l. 13. §. uli. ff. de injur. (18. v. l. 2. ff. ne quid in loco publ. (19. l. 1. §. 15. ff. de aqua quotid. (20. l. 16. supr. tit. prox. (21. d. l. 16. l. 14. infr. h. t. §. 3. inst. de usufr. (22. l. 13. supr. h. t. (23. v. l. 7. ff. quemadm. serv. amitt.

tilem domino aream, & fructuum inutilitatem faciat. Dat. xi. Kal. Nov. *Constantinop.* post Consulatum LAMPADII & ORESTIS VV. CC. 531.

## T I T. XXXV.

## DE LEGE AQUILIA. I

*De sylva combusta, vel excisa.*

1. Imp. ALEXAND. A. Glyconidi.

**D**amnum per injuriam datum, immisso in sylvam igne 2, vel excisa 3 ea, si probare potes: actione legis 4 Aquiliae utere. PP. VII. Id. Nov. ALEX. A. 11. & MARCELLO COSS. 227.

*De domo deposita vel concremata. De aqua alio derivata.*

2. Imp. GORDIANUS A. Mutiano.

**L**egis Aquiliae actione expertus adversus eum, quem domum tuam deposuisse 5, vel incendio concremasset 6, damnoque te affixisse proponis, ut id damnum sarcitur, competentis Judicis auctoritate consequeris. † Quin etiam, si aqua 7 per injuriam alio derivata sit, ut in priorem statum restituatur, ejusdem judicis cura impetrabis. PP. VIII. Id. Nov. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De ancilla occisa.*

3. Idem A. Dolenti.

**E**x morte ancillae, quam casam conquestus es, tam legis Aquiliae damni sarciriendi 8 gratia actionem, quam criminalem 9 accusationem adversus obnoxium competere (tibi) posse non ambigitur. PP. v. Kal. April. GORDIANO A. 11. & POMPEJANO COSS. 242.

*Pena inficiantis.*

4. Imp. DIOCLETIANUS & MAXIMIANUS AA. & CC. Zoilo,

**C**ontra negantem 10, ex lege Aquilia, si damnum per injuriam dedisse probetur, dupli procedit condemnatio. Dat. xv. Kal. Maji, *Heraclia*, AA. COSS. 293.

*De pecoribus inclusis & fame necatis, vel interfectis.*

5. Idem AA. & CC. Claudio.

**D**e pecoribus tuis, quae per injuriam inclusa fame necata sunt, vel interfecta, legis 11 Aquiliae actione in duplum agere potes. Dat. xv. Kal. Nov. AA. COSS. 293.

*De pastu.*

6. Idem AA. & CC. Plenio.

**D**e his, quae per injuriam depasta contendis, ex sententia legis 12 Aquiliae agere minime prohiberis. PP. v. Kal. Nov. CC. COSS. 294.

## T I T. XXXVI.

## FAMILIAE ERCISCUNDÆ. I.

*Si non omnis paterna hereditas divisa est. De sententia.*

*De transactione.*

1. Imp. SEVERUS & ANTONINUS AA. Martiano.

**S**i non 2 omnem paternam hereditatem ex consensu dividisti, nec super ea re sententia dicta, vel transactio subsecuta est: judicio familiae erciscundae experiri potes. PP. VIII. Kal. Oct. LATERANO & RUFINO COSS. 198.

*De dote.*

2. Imp. ANTONINUS A. Vitiano.

**U**xor tua, si mortuo patre tuo, cui dotem numeraverat, cum heres ei existeris, adhuc in matrimonio tuo fuerit: familiae erciscundae actionem ad exequendam 3 dotem secundum juris (pridem) placitum, adversus coheredes tuos nactus es: eamque retines, etiamsi postea, dum tibi nupta est, decesserit. PP. 11. Id. Februar. \*

TIT. XXXV. (1. Lib. 4. Inst. 3. Lib. 9. D. 2. l. 28. §. 12. ff. de pæn. (2. l. 2. infr. l. 27. §. 7. 8. 9. 10. 11. l. 30. §. 3. ff. h. t. (3. d. l. 27. §. 25. & 26. (4. l. 28. §. 12. ff. de pæn. v. l. 7. §. 13. ff. de pactis. (5. l. 27. §. 31. l. 50. ff. h. t. vide tamen l. 3. §. 7. ff. de incendio. (6. v. l. 1. supr. h. t. (7. d. l. 27. §. 32. (8. Adde l. 2. supr. cod. (9. l. 23. §. 9. ff. §. 11. Inst. cod. (10. §. 26. Inst. de action. l. 2. §. 1. ff. h. t. Nov. 18. c. 8. (11. Immo vide §. 16. Inst. l. 9. §. 2. l. 29. §. 2. l. 39. §. 1. ff. h. t. l. 4. ff. de agnoscend. & alend. lib. l. 2. §. 20. in fin. ff. vi bonor. rapt. (12. Immo vide l. 14. in fin. ff. de præs. verb.

TIT. XXXVI. (1. Lib. 10. D. 2. §. 20. Inst. de action. §. 4. Inst. de off. jud. (2. l. 20. §. 4. ff. h. t. (3. l. 1. §. 10. infr. de rei ux. ad. l. 20. §. 2. l. 46. l. 51. in pr. ff. h. t. l. 65. in fin. ff. pro soc. l. 85. ff. ad leg. Falc.

*De rebus a coherede sublatis.*

3. Idem A. Rufo.

**A**dversus coheredes tuos dividenda hereditatis judicio secundum juris formam experire: Judex datus, si quid a coherede etiam tuae portionis ex hereditate sublatum 4 fuerit probatum, factis adjudicationibus secundum juris formam eum tibi condemnabit. Expilatae 5 enim hereditatis crimen frustra coheredi intenditur, cum judicio familiae erciscundae indemnitati ejus prospiciatur.

*De castrensi peculio.*

4. Imp. ALEXAND. A. Antonio.

**S**i filius familias fuisse, & res mobiles vel se moventes, quae castrensis 6 peculii esse possunt, donatae tibi a patre sunt: eas quoque in cetero peculio castrensi non (\*) communes cum fratribus tuis habes. † Prædia (\*\*) autem licet evati tibi in castra filio pater donaverit, peculii (tamen) castrensis non sunt. † Diverso jure ea prædia habentur, quae ex occasione militiae filius familias obveniunt: hæc enim castrensi peculio cedunt.

*De mutatione ultimæ voluntatis.*

5. Idem A. Statilia.

**I**n ipsius mariti tui fuit potestate mutare, quod in servos suos 7 iratus testamento caverat, ut unus quidem in perpetuis vinculis 8 moraretur, alter vero exportandus venundaretur. Proinde si offensam istam clementia flexit; (quod licet scriptura non probetur, aliis tamen rationibus doceri nihil impedit, præsertim cum posteriora eorum talia merita deprehenduntur, ut ira domini potuerit mitigari,) novissimam ejus voluntatem arbiter familiae erciscundae sequetur.

*De nominibus.*

6. Imp. GORDIANUS A. Pomponio militi.

**E**a, quae in nominibus sunt, non recipiunt 9 divisionem: cum ipso jure in portiones hereditarias ex Lege duodecim tabularum divisa sint.

*De fideicommissis.*

7. Idem A. Aeliano.

**S**i qua fideicommissorum 10 petitio inter coheredes consistat: Praetor vel Praeses provinciae ejus rei disceptator constitutus, vel Judex familiae erciscundae judicio aditus, ut voluntas testatrix servetur, suas partes accommodare debet.

*De bonis paternis vel maternis.*

8. Idem A. Telephoro.

**B**ona, quaecumque tibi sunt communia 11 cum fratre tuo ex hereditaria successione patris vel matris, cum eodem familiae erciscundae judicio experiens, ut dividantur impetrabis.

*De bona fide. De fructibus.*

9. Idem A. Verino.

**N**on est ambiguum, cum familiae erciscundae titulus inter bona fidei 12 judicia numeretur, portionem hereditatis, si qua ad te pertinet, incremento 13 fructuum augeri.

*De divisione a testatore facta.*

10. Idem A. Telephoro.

**Q**uotiens inter omnes heredes 14 testator successionem (suam) dividit: ac singulos certis possessionibus cum mancipiis, quae in eisdem sunt constituta, jubet esse contentos; voluntati 15 ejus (salva legis Falcidae auctoritate) obtemperandum esse, manifestum est. Nec mutat, quod in sequentibus verbis mancipia sua universa, nulla facta eorum discretionem, commendanda putaverit heredibus: cum utique his ea videatur insinuasse, quibus etiam testamento relinquenda esse decrevit.

*De bonis parentum intestatorum.*

11. Imp. PHILIPPUS A. & PHILIPPUS C.

Antonio P.

**I**nter filios & filias bona intestatorum parentum pro 16 virilibus portionibus æquo jure dividi oportere, explorati juris est.

(4. l. 19. infr. h. t. §. 4. Inst. de off. jud. (5. v. l. ult. infr. de crim. expil. hered. (6. l. 1. infr. de cast. pecul. (\*) v. l. 3. infr. d. t. (\*\*\*) d. l. 1. in fin. (7. l. 7. ff. de SC. Silan. (8. l. 18. §. 2. ff. h. t. l. 17. §. 19. ff. de edil. edit. (9. l. 1. infr. de except. l. 51. in fin. ff. h. t. l. 11. l. ult. ff. de distract. pignor. adde l. 25. §. 9. §. 13. ff. h. t. (10. Adde l. 89. §. 4. ff. de legat. 2. (11. v. l. 1. h. t. (12. §. 28. Inst. de action. (13. l. 17. infr. l. 56. ff. h. t. l. 2. supr. de petit. hered. (14. v. l. 8. supr. de inoff. testam. (15. v. l. 16. in fin. l. 21. infr. h. t. (16. l. 32. ff. cod. l. ult. infr. ad SC. Terz. l. 1. infr. commun. de success. Nov. 118. c. 3.

*De divisione sine scriptura.*

12. Imp. GALLIENUS &amp; VALERIANUS AA. Rufo.

**N**on ideo divisio inter te, & fratrem tuum (ut proponis) facta, irrita habenda est, quod eam scriptura 17 secuta non est: cum fides rei gestae ratam divisionem satis affirmet.

*De peculio.*

13. Imp. DIOCLETIANUS &amp; MAXIMIANUS AA. Saturnino.

**C**ertum est, liberorum peculia 18 post mortem patris in hereditatem dividendam, ad communionem esse revocanda. Frater autem & coheres tuus, ob contractus, quibus vivente patre etiam ignorante ipso obligatus fuit, convenire te & alterum fratrem tuum coheredem vestrum ultra non 19 potest, quam ut de peculio 20 suo recipiat tantam quantitatem, in quantum condemnatus est his, cum quibus ipse contraxit.

*De evictione.*

14. Idem AA. Hermiano.

**S**i familiae erciscundae iudicio, quo bona paterna inter te ac fratrem tuum aequo 21 iure divisa sunt, nihil super evictione rerum, singulis adjudicatorum specialiter inter vos convenit, id est, ut unusquisque eventum rei suscipiat: recte possessionis evictae detrimentum 22 fratrem & coheredem tuum pro parte agnoscere, Praeses provinciae per actionem praescriptis 23 verbis compellet. Dat. viii. Kal. Sept. AA. coss. 293.

*De conventionione, quam possessio secuta est, & de pacto nudo.*

15. Idem AA. Theophilo.

**S**i divisionem conventionione 24 factam etiam possessio consensu secuta, pro solido dominium rerum, quas pertinere ad patrem tuum placuit, (ei firmavit:) earum vindicationem habere potes, si patri tuo successisti. Si vero placitum divisionis usque ad pactum stetit: arbiter familiae erciscundae iudicio vobis datus, communionem inter vos finiri providebit.

*De voluntate patris defuncti servanda.*

16. Idem AA. Heraclio.

**F**ilii patris testamentum rescindendi, si hoc inofficiosum probare non possunt, nullam habent facultatem. Sed & si tam circa testamentum, quam etiam codicillos iudicium ejus deficiat, verum quibuscumque verbis 25 voluntas ejus declarata sit: licet ab intestato ei fuerit successum, ex SC. retentionis 26 modo servato, familiae erciscundae iudicio aditum iudicem sequi voluntatem 27 (patris) oportere, juris auctoritate significatur.

*De absente.*

17. Idem AA. &amp; CC. Commodiano.

**C**oheredibus divisionem inter se facientibus 28, juri absentis, & ignorantis minime derogari 29, ac pro indiviso portionem eam quae initio ipsius fuit, in omnibus communibus rebus eum retinere, certissimum est. Unde portionem tuam cum 30 rebus arbitrio familiae erciscundae percipere potes, ex facta inter coheredes divisione nullum praedictum timens. Dat. vii. Kal. Dec. Sirmii, AA. coss. 293.

*De his, quae pater unius filiae nomine comparaverit.*

1. De sumtibus.

18. Idem AA. &amp; CC. Dominae.

**F**iliae, cujus nomine pater res comparavit, si non postea contrarium ejus iudicium probetur, per arbitrium dividendae hereditatis praecipuas 31 adjudicari saepe rescriptum est. His itaque, si patri successisti, quem nomine tuo quaedam comparasse dicis, adversus sororem tuam apud Praesidem provinciae, si res integra 32 est, uti potes. §. 1. In communi autem hereditate, quin sumtus 33 ab uno facti bona fide, familiae erciscundae iudicio, vel negotiorum 34 gestorum actione servari possunt, non est ambiguum.

(17. v. l. 17. sup. de pactis. (18. vide tamen l. 4. sup. h. t. l. 12. in fin. infr. de collat. (19. l. 20. §. 1. ff. h. t. (20. l. 38. ff. de cond. indeb. (21. l. 11. sup. h. t. (22. l. 25. §. 21. ff. eod. (23. l. 20. §. 3. ff. eod. (24. v. l. 20. sup. de pact. (25. v. l. ult. inf. l. 32. ff. h. t. (26. l. 21. infr. eod. (27. l. 10. sup. l. 21. l. ult. infr. eod. l. 21. §. 1. infr. de testam. l. 3. sup. de inoff. testam. (28. Adde l. 2. §. 4. l. 43. ff. h. t. l. 8. pr. ff. communi divid. (29. l. 74. ff. de reg. jur. (30. l. 9. sup. h. t. (31. v. l. 2. sup. de inoff. donat. l. pen. infr. h. t. confer tamen l. 13. infr. de collat. (32. l. 1. sup. h. t. juncta l. 16. sup. de transact. (33. l. 18. §. 3. l. 25. §. 19. l. 39. pr. l. 44. §. 7. 8. ff. h. t. (34. l. 3. sup. de negot. gest. l. 31. ff. de procur.

TOM. II.

*De rebus absumentis, vel deterioratis.*

19. Idem AA. &amp; CC. Lyficrati.

**I**ncerti juris non est, in familiae erciscundae iudicio earum rerum, quas ex coheredibus quidam de communibus absumentis, vel deterioribus fecerunt, rationem (esse) habendam, ejusque rei ceteris praestandam 35 indemnitate. Datum xviii. Kalend. Januar. AA. coss. 293.

*De re distraeta.*

20. Idem AA. &amp; CC. Pactuelae.

**I**n familiae erciscundae iudicio ab uno pro solido rei veluti communis venundatae pretium non venit: sed mandati, si praecessit, coheres venditoris agere potest: vel negotiorum 36 gestorum, si ratam fecerit venditionem. Nam si velut propriam unum distraerit, ac pretium possideat, hereditas 37 ab eo petenda est. \* 111. \* Februar. CC. coss. 294.

*De voluntate patris defuncti servanda.*

21. Idem AA. &amp; CC. Fortunato.

**S**i, cogitatione futurae successionis, officium arbitri dividendae hereditatis praeveniendo 38, pater communis iudicio suo, qualicumque iudicio suam declaraverit voluntatem: inter eos, qui ei successerunt, exemplo Falcidae retentionis habita ratione, familiae dividendae causa datus arbiter: pro virili 39 praeterea portione eorum, quae nulli generaliter 40, vel specialiter assignavit, facta divisione, in adjudicando patris sequetur voluntatem.

*De errore coheredum.*

22. Idem AA. &amp; CC. Dionysio.

**S**ervum communem non consentientibus coheredibus, seu per errorem 41 ad eum, qui possidet, pertinere credentibus 42, tenens, cum omnis verus titulus deficiat 43, suum non facit: sed in eo portiones hereditarias assignatas penes singulos successores remanere manifestum est. PP. v. Nonas Januar.

*De pacto divisionis & stipulatione.*

23. Idem AA. &amp; CC. Hermogeni.

**L**icet pacto 44 divisionis adversus singulos actio pro hereditariis portionibus creditori parata mutari non possit: tamen ad exhibendam fidem his, quae convenerant; stipulationis & juris adhibito remedio, qui placitum excedit, urgeri potest: cum & hoc omisso, si non contrarium convenisse probaretur, praescriptis 45 verbis conveniri potuisset.

*De hereditate restituenda & de his, quae imputantur in quartam.*

24. Idem AA. &amp; CC. Socrati.

**F**ilium, quem habentem fundum, portionem hereditatis fratris, & quibusdam aliis sub conditione verbis precariis restituere sanxit testator: post ejus conditionis eventum, hereditariae parte praedii in quarta ratione retenta: compensato praeterea, quod a coheredibus vice mutua percepit, (&) si quid deest, in supplementum deducto, quod a ceteris in eo fundo solvitur, supra 46 quartam habens, reddere compellitur. Dat. v. Non. Jan. CC. coss. 294.

*De collatione.*

25. Idem AA. &amp; CC. Diocli.

**E**x causa donationis 47, vel aliunde tibi quaesita, si avi successionem respueris, conferre fratribus compelli non potes. Dat. Id. Apr. TUSCO & ANULINO coss. 295.

*De voluntate defuncti, quamvis non solemnni, servanda inter liberos, non quoad extraneos.*

26. Imp. CONSTANTINUS A. ad Bassum PP.

**I**nter omnes dumtaxat heredes suos 48, qui ex quolibet venientes gradu, tamen pares videntur esse, vel emancipatos, quos Praetor ad successionem vocat: sive coeptum, neque impletum testamentum, vel codicillus, seu epistola parentis esse memoretur, sive quocumque alio modo scripturae quibuscumque verbis, vel iudiciis inveniantur relictae, iudicio familiae erciscundae (licet ab intestato ad successionem liberi vocentur) servato SC. auxilio, defuncti dispositio custodiatur, etiam si solemnitate legum hujusmodi dispositio fuerit destituta. Si vero in hujusmodi voluntate designatis li-

(35. l. 3. sup. h. t. §. 4. Inst. de off. jud. (36. v. l. 3. sup. de rei vind. (37. l. 44. §. 2. ff. h. t. (38. l. 10. l. 16. sup. eod. (39. l. 11. sup. eod. (40. l. 32. ff. eod. (41. l. 18. sup. de rei vind. (42. v. l. ult. ff. pro dots. (43. l. 3. inf. in quib. caus. cessat longi temp. praescri. (44. v. l. 25. sup. de pact. (45. l. 20. §. 3. vers. plane. ff. h. t. (46. Immo vide l. 91. ff. ad leg. Falc. (47. Adde l. 18. sup. h. t. l. 13. inf. de collat. (48. v. Nov. 107. c. 1. l. 21. §. 1. inf. de testam. adde l. 38. ff. de fideicom. libere.

4

beris

beris alia sit mixta persona: certum est, eam voluntatem, quantum ad illam dumtaxat personam permixtam, pro nulla haberi. Dat. Romæ, Kal. \* CRISPO 11. & CONSTANTINO Cæs. 11. coss. 321.

In AUTHENT. de trient. & semiss., §. & quod sæpe, col. 3. tit. 5. Novell. 18. cap. 7.

*Si modo subjiciatur huic scriptura, vel ipsius parentis, vel omnium, inter quos fit partitio, liberorum subscriptio.* 49

## T I T. XXXVII.

## COMMUNI I DIVIDUNDO.

*De eo, qui partem suam distraxit.*

1. Imp. ANTONINUS A. Lucano.

**F**rater tuus si solam 2 portionem prædii ad se pertinentem distraxit, venditionem revocari 3 non oportet: sed adversus eum, cum quo tibi idem prædium commune esse cœpit 4, communi dividundo iudicio confiste: & ea actione aut universum prædium, si licitatione viceris, exsoluta socio parte pretii obtinebis: aut pretii portionem, si meliorem alius conditionem obtulerit, consequeris: quod si divisio prædii sine cuiusquam injuria commode fieri poterit, portionem suis finibus tibi adjudicatam possidebis. Hoc videlicet custodiendo, ut post litis contestationem nemo nec partem suam, ceteris ejusdem rei dominis non consentientibus, alienare 5 possit. PP. Kal. Mart. Romæ, ANTONINO A. IV. & BALBINO coss. 214.

*De eo, qui rem communem pignoraverit.*

2. Imp. ALEXANDER A. Avito militi.

**S**i probatum fuerit Præsidi provinciæ, fratrem tuum vineas communes pignori dedisse: cum partem tuam, quam in vineis habes, creditori obligare 6 non potuerit: Præsides provinciæ restitui tibi eam jubebit cum fructibus, quos creditor ex parte tua perceperit. Idem Præsides provinciæ de divisione vinearum inter te, & creditorem fratris tui cognoscat, & jubebit eum accepta pecunia, quanti 7 statuerit partem fratris tui valere, eam partem, quam de fratre tuo accepit, tibi restituere: aut æstimata tua parte ad creditorem fratris tui data pecunia, quanti eam æstimaverit, transferre. PP. Id. Sept. ALEXANDRO A. 11. & MARCELLO coss. 227.

*De his, quæ communia manent, vel alienata sunt. De rebus, quæ commode dividi non possunt.*

3. Idem A. Verecundiano.

**A**d officium arbitri, qui inter te & fratrem tuum (pro) dividendis bonis datus fuerit, ea sola pertinent, quæ manent communia tibi & illi. Nam ea, quorum partem is vendidit, cum emptoribus tibi communia sunt, & adversus singulos arbitrum petere debes, si ab illorum quoque societate discedi placeat. † Cum autem regionibus dividi (commode) aliquis ager inter socios non 8 potest, vel ex pluribus singuli: æstimatione iusta facta, unicuique sociorum adjudicantur, compensatione pretii invicem facta, eoque, cui res majoris pretii obvenit ceteris condemnato: ad licitationem nonnunquam etiam extraneo emptore admissa, maxime si se non sufficere ad iusta pretia alter ex sociis sua pecunia vincere vilius licitantem profiteatur. PP. v. Non. Maji, JULIANO, & CRISPINO coss. 223.

*De divisione facta inter fratres.*

4. Imp. DIOCLET. & MAXIMIANUS, AA. & CC. Herodæ.

**S**i major quinque & viginti annis foror tua tecum res communes divisit: quamvis non 9 instrumentis, sed aliis probationibus earum direptam communionem esse probetur, stari tamen finitis convenit. Quod si minor fuit, nec tempus 10 in integrum restitutioni præfinitum adhuc excessit, an in integrum propter divisionem 11 restitui debeat, causa cognita 12 Præsides provinciæ æstimabit. † Idem eorum etiam, quæ vobis permanent communia, fieri divisionem providebit: tam sumtuum 13, (si quis de vobis in res communes fecit) quam fructuum. Item doli 14, & culpæ (cum in communi dividundo iudicio hæc omnia venire non ambigatur) rationem, ut in omnibus æquabilitas servetur, habiturus. Dat. VIII. Id. Febr. CC. coss. 294.

(49 Confer. Nov. 107. c. 1.

TIT. XXXVII. (1. Lib. 10. D. 3. §. 20. Inst. de act. §. 5. Inst. de off. jud. (2. Adde l. 3. in fin. ff. qui potiores in pign. (3. v. l. 14. §. 3. ff. h. t. l. 16. in fin. ff. pro soc. (4. l. 3. infr. h. t. (5. l. ult. ff. de alienat. jud. mut. caus. fact. (6. l. un. infr. si comm. res pign. l. 3. ff. qui potiores in pign. (7. l. 10. in fin. ff. h. t. (8. §. 5. Inst. de off. jud. l. 2. §. 1. ff. fin. regund. l. 55. ff. fam. ercisc. cund. (9. l. 21. supr. de pactis. (10. v. supr. de temporib. in integr. restit. i (11. v. l. 1. supr. si advers. transact. (12. l. 3. ff. l. 3. supr. de in integr. restit. (13. l. 3. l. 11. l. 14. §. 1. ff. h. t. (14. l. 23. ff. de reg. jur.

*De nolente in communione manere.*

5. Idem AA. & CC. Secundino Militi.

**I**n communione vel societate nemo 15 compellitur invitus detineri: quapropter aditus Præsides provinciæ, ea, quæ communia tibi cum sorore perspexerit, dividi providebit. Dat. VIII. Kalend. Septembr. CC. coss. 294.

## T I T. XXXVIII.

## COMMUNIA UTRIVSQUE JUDICII TAM FAMILIÆ ERCISCUNDÆ, QUAM COMMUNI DIVIDUNDO,

*Collatio divisionis, & emtionis.*

1. Imp. ANTONINUS A. Marco.

**D**ivisionem prædiorum vicem 1 emtionis obtinere placuit. PP. VI. Kal. Decembr. GENTIANO & BASSO coss. 212.

*Si litigantes divisionem a non competenti iudice factam probaverint.*

2. Imp. ALEXANDER A. Euphratz.

**E**tiam si is divisioni arbitrum dedit, cui dandi jus non fuit: tamen si socii quondam divisioni consensum dederint: quod quisque eorum secundum placita possidet, pro parte socii dominium nactus est. PP. XVI. Kalend. Decembr. ALEXAND. A. 111. & DIONE coss. 230.

*De divisione per fraudem, vel dolum, vel perperam facta.*

3. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.

Aureliæ Septimianæ.

**M**ajoribus etiam, per fraudem vel dolum, vel perperam sine iudicio factis divisionibus, solet subveniri: quia in bonæ 2 fidei iudiciis, quod inæqualiter factum esse constiterit, in melius reformabitur. PP. XVI. Kal. Jul. ipsis AA. (& CONSTANTINO 111.) coss. 293.

*De re emta ex pecunia communi.*

4. Idem AA. & CC. ad Maximianum.

**S**i patruus tuus ex communibus 3 bonis res comparavit, sibi negotium gerens, non omnium bonorum socius constitutus pro competentium portionum modo indemnitati tuæ consuli oportet: & ideo rem emtam communicare eum contra 4 juris formam postulas. PP. XVI. Kalend. Novembr. ipsis IV. & 111. AA. coss. 290.

*De instrumentis communibus.*

5. Idem AA. & CC. Frontino & Gafirioni.

**D**e instrumentis, quæ communia fratrem vestrum tenere proponitis, Rector provinciæ aditus, apud quem 5 hæc collocari debeant, existimabit. PP. VI. Idib. Febr. Sirmii, AA. coss. 293.

*De conditione jurisjurandi.*

6. Idem AA. & CC. Theodorianæ & aliis.

**S**i cum patruo vestro hac conditione divisionem fecistis, ut se nulum dolum malum adhibuisse juraret, nec fidem placitis exhibuit: quominus res indivisas requiratis, eorum placitum, quæ in divisionem venerunt, nihil vobis nocere potest. Dat. v. Kalend. April. Sirmii. CC. coss. 294.

*De evictione.*

7. Idem AA. & CC. Severiano & Flaviano.

**S**i fratres vestri pro indiviso commune prædium citra 6 vestram voluntatem obligaverunt; & hoc ad vos secundum pactum divisionis, nulla pignoris facta mentione, pervenit: evictis partibus, quæ ante divisionem sociorum fuerunt, in quibus obligatio tantum consistit, ex stipulatu, si intercessit: alioquin, quanti interest, præscriptis verbis contra fratres agere potestis: nam si fundi, scientes obligationem, dominium suscepistis: tantum evictionis 7 promissionem solennitate verborum, vel pacto promissam probantes, eos conveniendi facultatem habebitis. Dat. 11. Non. Decemb. Nicomediæ, CC. coss. 294.

*De possessione relicta, vel translata.*

8. Idem AA. & CC. Nicomacho & aliis.

**S**i inter vos majores annis vigintiquinque rerum communium divisio, relicta 8 vel translata possessione, finem accepit: instaurari mutuo bona fide terminata consensu minime possunt. Dat. Non. Decembr. CC. coss. 294.

(15. l. 26. §. 4. ff. pro soc. vide tamen Nov. Leon. 102.

TIT. XXXVIII. (1. v. l. 20. §. 3. ff. famil. ercisc. (2. l. 3. supr. ex quib. caus. maj. l. 6. in fin. ff. de jure dot. (3. l. 8. infr. si quis alteri vel sibi sub alter. nom. em. (4. Immo vide l. 74. ff. pro soc. (5. v. l. 5. ff. fam. ercisc. (6. v. l. un. infr. si commun. res pignor. adde l. 3. in fin. ff. qui potiores in pign. (7. l. 27. infr. de evictionib. (8. l. 45. ff. de pactis.

*Si corpora maneant communia, vel non.*

9. Iidem AA. & CC. Demetrisano.

**F**amiliae eriscunda, vel communi dividendo iudicio ita de-  
mum, si corpora maneant communia 9, agi potest. Dat. vi.  
Idib. Decem. *Nicomedia*, CC. coss. 294.

*Si in testamento omnia esse divisa scriptum sit.*

10. Iidem AA. & CC. Gallicano.

**S**criptura testamenti, qua specialiter omnia divisa continentur;  
quo minus res 10, quarum testator non fecit mentionem,  
heredes inquirere possint, nihil impedit. Sine die & Consule.

*De familiis non separandis.*

11. Imp. CONSTANTINUS A. Carulo Rationali  
trium provinciarum.

**P**ossessionum divisiones ita fieri oportet, ut integra apud succes-  
sorem unumquemque servorum, vel colonorum adscriptitiae  
conditionis, seu inquilinorum proximorum agnatio, vel adfinitas  
permaneat. Quis enim ferat liberos a 11 parentibus, a fra-  
tribus sorores, a viris conjuges segregari? (Igitur) si qui (sic  
sociata) in jus diversum mancipia (vel colonos) distraxerint,  
in unum eadem redigere cogantur. Dat. III. Kal. Maji, PROCULO  
& PAULINO coss. 334.

*De dote, & donatione propter nuptias.*

12. Imp. JUSTINIANUS A. ad Senatum.

**I**llud aequitatis fovere rationibus, bene nobis apparuit: Si quis  
etenim pro filio suo ante nuptias donationem conscripserit,  
vel dederit, vel pro filia sua dotem, & hoc, quod dedit, iterum  
ad eum revertatur, vel stipulatione, vel lege hoc faciente: vel (&  
si) alio dotem, vel ante nuptias donationem dante, stipulationis  
paternae tenor, vel forte legis hoc induxerit: ille autem testamento  
condito, vel filios suos, vel extraneos scripserit heredes, & nihil  
de huiusmodi rebus, quae ad eum revertae sunt, vel pervenerunt,  
disposuerit, inveniuntur autem alii liberi ejus res a paterna sub-  
stantia lucrati, vel per ante nuptias donationem, vel dotes, vel  
militiae causa, quas (utpote testamento existente) non 12 cogun-  
tur conferre: tunc filius vel filia easdem res, quae ad partem re-  
vertae sunt, vel pervenerunt, habeant praecipuas, ad simile tamen  
lucrum computandas, ut in praesenti casu tantum habeat ipse vel  
ipsa, quantum ejus fratres a patre sunt consecuti, secundum eos  
modos, quos supra diximus, & quos conferre propter testamen-  
tum non coarctantur. Sin autem nihil tale penitus in fratres eor-  
um a patre collatum est, neque ipsos sibi praecipue hanc partem  
vindicare, sed quasi paternae factae substantiae sit, inter omnes  
secundum institutionis tenorem dividi: Et haec quidem, si inter  
fratres patris elogium compositum sit. † Sin autem extranei sint  
scripti heredes, & nihil in testamento suo, neque in hac parte  
testator dixerit: tunc omnimodo praecipuum habeat filius vel filia,  
quod ad patrem revertitur, vel pervenit. Si tamen minus in fra-  
tres collatum est, amplius autem ex huiusmodi causa ad partem  
pervenit: illo, quod ad similem quantitatem concurrat, excepto,  
cetera quasi paternae substantiae factae secundum modum institu-  
tionum dividantur. Illo proculdubio observando, quod si minus  
sit id, quod pater ex huiusmodi causa habuit, ea quantitate,  
quae in fratres collata est; tota huiusmodi portio ad eas perso-  
nas perveniat, quarum occasione res ad patrem revertitur. Ea  
igitur, quae in paterna persona diximus, obtinere volumus etiam  
in avo, & proavo paterno vel materno, & in matre & in avia,  
& proavia paterna vel materna. Dat. xi. Kal. Aug. *Constantinop.*  
LAMPAD. & ORESTE VV. CC. coss. 530.

TIT. XXXIX.

FINIUM REGUNDORUM. I

*De venditione.*

1. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC.  
Nicephoro.

**R**egionem certam fundi, propriis finibus ejus mutatis 2, do-  
minus ejus distrahere ac residuum retinere non prohibetur.  
Nec amplius emtor, quam quod ratione secundum venditionis  
fidem ad se pervenit, vindicare potest praetextu terminorum  
temporis antecedentis venditionem. Datum Id. Decem. *Nicomedia*,  
AA. coss. 293.

(9. l. 1. in fin. ff. communi divid. (10. Adde l. 1. inf. arbitr. tut. Nov.  
48. (11. Confer l. 41. §. 2. 5. ff. de legat. 3. l. 6. 7. 8. ff. de pign. (12.  
Abrog. Nov. 18. c. 6.

TIT. XXXIX. (1. Lib. 10. D. 1. §. 20. Inst. de act. §. 6. Inst. de off. judic.  
(2. v. l. 2. inf. l. 11. 12. ff. h. t.

*De successionum varietate, & vicinorum novo consensu.*

2. Iidem AA. & CC. Tatiano.

**S**uccessionum 3 varietas, & vicinorum novi 4 consensus, ad-  
ditis vel detractis agris alterutro, determinationis veteris  
monumenta saepe permutant. Dat. ix. Kal. Jan. *Nicomedia*, AA.  
coss. 293.

*De proprietate & possessione. De agrimensore adhibendo.*

3. Imp. CONSTANTINUS A. ad Tertullianum U. P.

Comitem dioeceseos Afianz.

**S**i quis super sui juris locis prior (de finibus) detulerit querimo-  
niam, quae proprietatis controversiae coharet: prius possessio-  
nis 5 quaestio finiatur, & tunc agrimensor 6 ire praecipatur ad  
loca: ut patefacta veritate huiusmodi litigium terminetur. Quod  
si altera pars, ne huiusmodi quaestio terminetur, se subtraxerit  
7, nihilominus agrimensor in ipsis locis iussione Rectoris pro-  
vinciae una cum observante parte hoc ipsum faciens perveniet.  
Dat. XVI. Kal. Mart. *Verona*, GALLICANO, & SYMMACHO coss. 330.

*De eo, qui iudicio pendente occupat de alieno.*

4. Iidem A. ad Bassum Praefectum Urbi.

**S**i confiterit eum, qui finalem detulerit quaestionem, priusquam  
aliquid sententia determinetur, rem sibi alienam usurpare  
voluisse: non solum id, quod male petebat, amittat, sed (quo  
magis unusquisque contentus suo, rem non expetat juris 9 alieni)  
qui irreptor agrorum fuerit in lite superatus, tantum agri mo-  
dum, quantum adimere tentavit, amittat. Lecta apud acta XII.  
Kal. Jul. GALLICANO & SYMMACHO coss. 330.

*De quinque pedum praescriptione.*

5. Imp. VALENT. THEOD. & ARCAD. AAA.

Neotherio PP.

**Q**uinque 10 pedum praescriptione submota, finalis iurgii, vel  
locorum libera peragatur intentio. PP. VII. Kal. Jul. ARCAD.  
A. II. & RUFINO coss. 392.

*De temporis praescriptione.*

6. Imp. THEOD. ARCAD. & HONOR. AAA.

RUFINO PP.

**C**unctis molitionibus, & machinationibus amputatis, decerni-  
mus, in finali quaestione non longi temporis, sed triginta  
tantummodo annorum praescriptionem locum habere. Dat. II.  
Non. Nov. ARCAD. A. II. & RUFINO coss. 392.

TIT. XL.

DE CONSORTIBUS EJUSDEM LITIS.

1. Imp. JULIANUS A. Secundo PP.

**E**xplosis, atque rejectis praescriptionibus, quas litigatores sub  
obtentu consortium, studio protrahendae disceptationis excogi-  
tare consueverunt: sive unius fori omnes sint, sive in diversis pro-  
vinciis versentur, nec adjuncta praesentia consortis, vel consortium,  
aendi, vel respondendi iurgantibus licentia pro parte 1 pandatur.  
Dat. III. Non. Sept. MAMERTINO & NEVITA coss. 362.

2. Imp. VALENT. & VALENS. AA. Sallustio PP.

**C**ommune negotium post litem legitime ordinatam etiam qui-  
busdam absentibus (in solidum) agi sine mandato potest, si  
praesentes rem 2 ratam dominum habiturum cavere parati sint, vel  
si quid ab his petitur, iudicatum solvi satisfactione firmaverint.  
PP. VI. Id. Dec. Divo JOVIANO (A.) & VARRONIANO coss. 364.

TIT. XLI.

DE NOXALIBUS I ACTIONIBUS.

*De furto.*

1. Imp. ALEX. A. Marcello.

**S**i existat corpus nummorum, quos ablatos ex patris tui heredi-  
tate, ab eo, quem liberum esse confiterit, allegas: vindicare  
eos, vel ad exhibendum agere non prohiberis: Nam quamvis alias  
noxae 2 caput sequatur: & manumissus furti actione teneatur quae  
in heredem non competit: cum tamen servus 3 a domino aliquid  
aufert, quamvis furtum committat, furti tamen actio non est nata:  
neque adversus ipsum, si postea 4 manumissus est, locum habet,

(3. d. l. 11. (4. d. l. 11. in fin. (5. l. 13. supr. de rei vindic. (6. l. 8. in  
fin. ff. h. t. (7. v. l. 13. §. 2. 3. 4. supr. de judic. (8. v. l. 5. inf. unde vi. (9.  
l. 8. ff. h. t. (10. v. l. ult. in fin. ff. cod.

TIT. XL. (1. l. 4. §. 1. in fin. l. 85. de verb. oblig. (2. l. 1. supr. de procur. e  
TIT. XLI. (1. Lib. 4. Inst. 8. Lib. 9. D. 4 (2. §. 5. Inst. h. t. l. 1. in fin. ff. d.  
priv. delict. l. 18. ff. de furtis. (3. l. 16. ff. d. t. de furt. §. 6. Inst. h. t. (4. l. 8.  
§. 1. ff. si quis testam. liber.

nisi furtivas res, & post manumissionem contrectet. PP. XIII. Kalend. Decembr. MAXIMO II. & AELIANO COSS. 224.

*De arboribus furtim cassis, & de ignorantia, & de prohibitione domini.*

2. Imp. GORD. A. Quintiliano & aliis.

**S**i servi vestri, nescientibus vobis, vel etiam prohibentibus, furtim arbores ceciderunt, quibus etiam propria poena juxta legem saltui datam fuerat praestituta: frustra veremini, ne ex persona eorum ultra 5 noxae deditioem sitis obstricti: cum ex delictis servorum domini ignorantes vel prohibentes, si noxali actione conveniantur, ita condemnari debeant, ut aut noxae dedere, aut condemnationem 6 sufferre habeant in sua potestate. PP. III. Non. Junii, GORDIAN. & AVIOLA COSS. 240.

*De plagio.*

3. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Eutychio.

**S**ive servum plagii paras accusare solenniter, Praesidem provinciae adire non prohiberis: siue dominum ejus sollicitati servi noxali judicio, siue furti malueris convenire: suam tibi notionem Praeses (provinciae) commodabit: non ignorans, quod si dominum elegeris, & eo non consentiente, quod intendis commissum probaveris, vel noxae dedenda 7, vel damni sarcindi, ac poenae praestandae habeat facultatem. PP. v. Non. Octobr. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De rapina. De scientia, vel ignorantia domini.*

*De judicio publico.*

4. Iidem AA. & CC. Sofio.

**S**i servus ignorante domino, vel sciente & prohibere 8 nequeunte, res tuas vi rapuerit, dominum ejus apud Praesidem provinciae, si necdum utilis annus excessit, quadrupli: quod si hoc contigit tempus, simpli noxali judicio convenire potes: Qui, si noxae maluerit servum dedere: nihilominus cum ipso, quantum ad eum pervenit, experiri non prohiberis. † Nam si eo conscio, & prohibere valente: detracta noxae deditioe conventus, ad summam condemnationis solvendam omnino compellendus est. † Sane, si criminis publici accusationem propter uxorem tuam a servo raptam, intendendam putaveris: non contra dominum 9, sed contra eum servum, quem facinus commississe proponis, hanc instituere debes. PP. XVIII. Kal. Septembr. Sirmii, AA. COSS. 293.

*De furto, & ope consilioque domini.*

5. Iidem AA. & CC. Menophilo.

**S**i tibi per furtum nec manifestum ancillam servus ope 10 consilioque domini cum aliis rebus subtraxerit, cum inter servum, & liberum civile judicium 11 consistere non possit, eum ob hoc delictum dupli poenali actione, & de rebus propriis vindicatione, vel conditione convenire potes S. v. Kal. April. CC. COSS. 294.

#### TIT. XLII.

##### AD EXHIBENDUM. I

*De vindicatuero ancillam.*

1. Imp. ALEXANDER A. Crescenti militi.

**S**i dominium ancillae, de qua agis, ad matrem tuam pertinuit, nec jure a patre tuo venundata est, ejusque proprietatem tibi vindicare 2 paratus es: Praeses provinciae exhiberi eam jubebit, ut apud judicem de rei veritate quaratur. PP. Kal. Maji, ALEXANDRO A. COS. 223.

*De servo reo criminis.*

2. Idem A. Syro.

**S**i criminis 3 alicujus reus servus postuletur, per ad exhibendum actionem produci a domino, non celari debet. PP. XI. Kalend. Decembr. ALEXANDRO A. COS. 223.

*De exceptione rei judicatae.*

3. Idem A. Felicissima.

**N**eque ad exhibendum actio, neque proprietatis vindicatio, si nunc competit, propterea perempta est, 4, quod aliquando adversus te ad exhibendum actione aliter pronunciatum est: quia commutatione litis alia res esse incipit. PP. Kal. Septembr. MAXIMO II. & AELIANO COSS. 224.

(5. §. 2. in fin. Inst. l. 2. pr. ff. h. t. l. 7. §. 1. ff. de damno infect. l. 1. §. 15. ff. de vi & vi armat. (6. l. 17. §. 18. ff. de adil. edict. l. 3. infr. h. t. (7. l. 2. supr. eod. (8. Adde l. 2. ff. eod. juncta l. 45. ff. ad leg. Aquil. (9. l. 4. infr. ad leg. Jul. de vi. (10. v. l. 53. in fin. ff. de V. S. (11. l. 6. supr. de judic.

III. XLII. (1. §. 3. Inst. de off. judic. Lib. 10. D. 4. (2. v. l. 1. l. 3. §. 3. ff. h. t. (3. Adde l. ult. ff. eod. (4. v. l. 12. §. 2. ff. eod.

*De instrumentis, & de in litem jurando.*

4. Idem A. Flacillae.

**N**on ignorabit iudex, si instrumenta tui 5 juris, quae penes diversam partem fuisse probaveris, ab eisdem non exhibeantur, jurisjurandi in litem 6 facultatem deferri tibi oportere. PP. III. Kal. Mart. AGRICOLA & CLEMENTINO COSS. 231.

*De possessore, & eo, qui dolo desit possidere.*

5. Imp. GORD. A. Sabiniano militi.

**A**d exhibendum actione non tantum eum, qui possidet, sed etiam eum teneri, qui dolo fecit 7, quominus exhiberet, merito tibi a non contemnenda auctoritatis Jurisconsulto Modestino responsum est. PP. II. Id. Febr. GORDIANO A. & AVIOLA COSS. 240.

*De instrumentis.*

6. Imp. PHILIPPUS A. Palemonidi.

**I**nstrumenta ad jus tuum 8 pertinentia, partem diversam invasisse adseverans, si quidem crimen intendis, solennibus accusationibus impletis, fidem adseverationi tuae facito: sin vero ad exhibendum intendis, judiciorum more experire. PP. II. Id. Mart. PEREGRINO & AEMILIANO COSS. 245.

*De culpa, & dolo, & de re deteriorata.*

7. Imp. DIOCLET. & MAXIM. AA. & CC. Vitalianis.

**E**xhibitionis necessitate tenetur, qui facultatem habens, culpam, vel dolum 9, in explendo praeepto committit: ita ut si rem deteriorem 10 exhibuit, aequitas 11 exhibitionis perficiat, ut quamvis ad exhibendum agi non possit: in factum tamen actio contra eum detur. PP. XVI. Kal. Junii, MAXIMO II. & AQUILINO COSS. 286.

*De commodato, & deposito.*

8. Iidem AA. & CC. Photino.

**S**i res tuas commodavit, aut deposuit is, cujus in precibus meministi, adversus tenentem ad exhibendum, vel vindicatione uti potes. Quod si pactus sit, ut tibi restituatur: si quidem ei, qui deposuit, successisti jure hereditario, depositi actione uti non prohiberis: si vero nec civili, nec honorario jure ad te hereditas ejus pertinet: intelligis nullam te ex ejus pacto 12, contra quem supplicas, actionem stricto jure habere: utilis autem tibi propter aequitatis rationem dabitur depositi actio. S. v. Kal. Maji, Heraclia, AA. COSS. 293.

*De chirographis & instrumentis ad debitum solutum pertinentibus.*

9. Iidem AA. & CC. Faustino.

**S**i ex quocumque contractu apud Praesidem provinciae jure debitum, cui oportuerat, te reddidisse probaveris: chirographa tua, 13 ex quibus jam nihil peri potest, & instrumenta ad eum contractum pertinentia, tibi naturaliter liberationem consecuto, exhiberi, ac reddi jubebit. S. VIII. Kal. Septembr. CC. COSS. 295.

#### TIT. XLIII.

##### DE ALEATORIBUS I, ET ALEARUM LUSU.

1. Const. argumentum ex βασιλικῶν lib. 60. tit. 8. de aleatoribus, Jacobo Cujacio interprete.

**C**onstitutio prohibet ludos, exceptis quinque: definit etiam multam in aleatores, permittens Praefecto Urbi, & Praesidibus provinciarum, & Episcopis ea inquirere & prohibere, & in iis habitos contractus rescindere. Dat & actionem ex quinque concessis ludis, & repetitionem eorum, quae ex ea causa debentur, & statuit decem librarum multam in eos, qui constitutionem violari permiserint.

*Aliud argumentum ex Nomocanone.*

Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

**V**ictum in alex lusu, non posse conveniri, & si solverit, habere repetitionem 2, tam ipsum, quam heredes ejus adversus victorem, & ejus heredes, idque perpetuo, & etiam post triginta annos. Quod si vel ipse, vel ejus heredes repetere neglexerint: liceat cuicumque volenti, & praecipue civitati, in qua id factum est, Primati, vel Defensori, repetere, & in opera civitatis id expendere. Data autem super alex lusu cautio sit irrita, & condici possit. † Sed & si quis sub specie alearum victus sit lupinis,

(5. v. l. 6. infr. eod. (6. l. 21. supr. de rei vindic. (7. l. 7. infr. l. 9. in princ. & §. 2. ff. h. t. (8. v. l. 4. supr. eod. l. 52. ff. de act. emt. & vendit. tit. ff. de reb. exhib. (9. l. 5. supr. h. t. (10. l. 9. §. 3. eod. (11. l. 3. §. 14. ff. eod. (12. v. l. 38. ff. de verb. oblig. (13. l. 2. infr. de condic. ex lege l. 18. ff. h. t.

III. XLIII. (1. Lib. 11. D. 5. adde Nov. Leon. 87. Auth. Interdicitur supr. de episcop. & cler. l. 25. l. ult. §. 1. & 3. supr. de episcop. aud. Nov. 123. c. 10 in fin. (2. Adde l. 19. in fin. ff. de probat. l. ult. §. 1. ff. quar. rer. actio non datur.



vel alia quavis materia, cesset etiam adversus eum omnis exactio. † Data licentia Episcopis hæc inquirendi: debentibus etiam Præsidibus, & Primatibus, & Defensoribus civitatum eos hac in re adjuvare. † Dumtaxat autem ludere liceat μονόβολον, liceat item ludere κοντομονόβολον, κυνπαρόν κόντακα, & item liceat ludere χωρίς πῆς πόρτης, id est, ludere vibratione Quintiana, absque spiculo, sive aculeo, aut ferro, a quodam Quinto ita nominata hac lusus specie. Liceat item ludere περιχυστήν, id est, exerceri lucta: liceat vero etiam exerceri hyplice, id est, equorum cursu, seu hippodromo, absque dolo, & circumventionem. Et liceat quidem ditioribus ad singulas commissiones, seu ad singulos congressus, aut vices unum assem, seu numisma, seu solidum deponere & ludere, ceteris autem longe minori pecunia. Quod si plus lusum fuerit, neque repetitio detur, & solum repetatur. Curent vero ista Præsides, decem librarum pœna interposita, si hanc legem contemserint, vel contemni permiserint.

2. Const. argumentum ex βασιλικῶν lib. 60. tit. 8. de aleatoribus, Jacobo Cujacio interprete.

Constitutio prohibet ea, quæ dicuntur ζῴλια ἱππικὰ periculi repetitione proposita in lusores, & publicatione domorum, in quibus hujusmodi lusus peracti sunt. Datur & repetitio ei, qui superatus est, & solvit: quod si nolit repetere, id jubet in opera publica ejus civitatis erogari.

Aliud argumentum ex Nomocanone.

β. Ἀντοκράτωρ Ἰεσινιανός Α. Ἰωάννι Ρ. Ρ.

Ἡ Διάταξις κωλύει τὰ παιγνία, καὶ πέντε ὑπεξαρμειμένον, ὁρίζει καὶ ἀνα ἐπιτίμια καὶ τῶν κυβευόντων, ἐπιτρέψασα καὶ τῶν ἐπαρχωπῶν πόλεω, καὶ τοῖς ἀρχαῖσι τῶν ἐπαρχιῶν καὶ τοῖς ἐπισκοποῖσι, ζητῶν καὶ κωλύει καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς γινόμενα πράγματα ἀποτρέπει δίδωσι δὲ ὁλώγας ἐκ τῶν ἐπιτετραμμένων παιγνίων, καὶ ἀπάπτωσιν τῶν ἐγπυθῶν χρεωσθέντων δέκα λιτρῶν ἐπιτίμιον ὀρίζουσα καὶ τῶν συγχωρήσαντων παραβῆναι τὴν διάταξιν.

Aliud argumentum Latine.

Non licere ludere his, qui vocantur equi lignei, neque ulla quavis aleæ specie, exceptis ludis, quos in anteriore constitutione permisimus. Loca vero, in quibus hujusmodi equis ligneis lusum fuerit, publicentur: & soluta hujus ludi occasione repellantur: vel si repetere nolent, qui perdidit, repetitio fiet per Præfectum, & Præsides provinciarum: & applicabitur hujusmodi pecunia publicis operibus. Prohibeant etiam cetera, quæ in hujusmodi ludis sunt illicita, ut blasphemias 3, & si quæ talia. Balsamon notat de equi lignei significatione incidisse apud Imperatorem gravem quondam disputationem, quibusdam asserentibus, illum ludum significari, quo pueri extra circum aurigando pro equis utuntur hominibus, aliis vero contra contendentes ligneam esse fabricam per scalas ligneas exaltatam, habentem in medio diversa foramina: nam qui hoc genere ludebant, quatuor globulos diversorum colorum superjiciebant ex superiori parte, & qui primus globulorum per foramina ex ultimo foramine egrediebatur, hic victoriam dabat ei, qui projecerat. Nunc veterem harum legum translationem a nobis, quoad fieri potuit, ex libris manuscriptis emendatam subjiciemus. Cont.

3. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Alearum usus antiqua 4 res est, & extra operas pugnatorias (concessa,) verum pro tempore abiit in lacrymas, multa millia extraneorum nationum suscipiens. Quidam enim (nec) ludentes, nec ludum scientes, sed numeratione tantum proprias substantias perdiderunt, die, noctuque ludendo, argento, apparatu lapidum, & auro. Consequenter autem ex hac inordinatione blasphemare 5 (Deum) conantur, & instrumenta conficiunt. Commodis igitur subjectorum prospicientes, hac generali lege decernimus, ut nulli 6 liceat in publicis, vel privatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in specie, & si contra factum fuerit, nulla sequatur condemnatio, sed solum 7 redatur, & competentibus actionibus repetatur ab his, qui dederint, vel eorum heredibus, aut his negligentibus, a Patre, aut Defensoribus illius civitatis: vel recipiat fiscus, non obstante, nisi quinquaginta annorum præscriptione: Episcopis vero loco-

(3. l. ult. §. 1. sup. de episc. aud. (4. Fac. l. 16. §. 8. ff. de pæn. (5. l. ult. §. 1. sup. de episc. aud. (6. Nov. Leon. 87. l. ult. §. 1. sup. de episc. aud. (7. l. 1. sup. h. t.

rum hoc providentibus, & Præsidum auxilio utentibus. † Deinceps vero ordinet quinque ludos, Monobolon, Contomonobolon, Quintanum contacem sine fibula, & perichyten, & hippicem, quibus sine dolo, atque callidis machinationibus ludere permittimus. † Sed nec permittimus etiam in his ludere ultra unum solidum, si multum dives sit: ut si quem vinci contigerit, casum gravem non sustineat. Non enim solum bella bene ordinamus, sed & res (sacras) ludicras. Sed istam interminantes pœnam transgressoribus, potestatem dando Episcopis 8 hoc inquirendi, & Præsidum auxilio sedandi. † Prohibemus etiam, ne sint equi (seu equestres) lignei 9: & ut si quis ex hac occasione vincatur, hoc ipse recuperet domibus 10 eorum publicatis, ubi hæc reperiuntur. † Si autem noluerit recipere is, qui dedit, procurator noster hoc inquireat, & in opus publicum 11 convertat. Similiter & Judices prohibeant, ut a blasphemis 12, & perjuriis, quæ ipsorum inhibitionibus debent comprimi, omnes homines penitus conquiescant.

TIT. XLIV.

DE RELIGIOSIS ET SUMTIBUS FUNERUM.

De Translatione reliquiarum.

1. Imp. ANTONINUS A. Doritæ.

Si vi fluminis reliquæ filii tui continguntur, vel alia justa, & necessaria causa intervenit: existimatione Rectoris provincie transferre eas in alium locum poteris. 2 PP. vii. Kal. Nov. ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 214.

De illatione in locum alienum. De alienatione, & obligatione.

2. Idem A. Hilariano.

Invito, vel ignorante te ab alio illatum corpus in puram possessionem tuam, vel lapidem, locum religiosum facere non potest. Sin autem voluntate tua mortuum aliquis in locum tuum intulerit, religiosus iste efficitur 3: Quo facto, monumentum, neque 4 venire, neque obligari a quodam prohibente juris religione posse, in dubium non venit. PP. Kal. Maii, AQUILINO II. & ANULINO COSS. 217.

De legato, & sumtu funeris.

3. Imp. ALEXAND. A. Rimo.

Legatum a defuncto tibi relictum, & quod in funus, vel mortuum ejus 5 erogasse te boni viri arbitrato probaveris, Præsides provincie solvi tibi jubebit. PP. v. Non. Jul. MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

De dominio, vindicatione, divisione.

4. Idem A. Luciano.

Si sepulcrum monumenti 6 appellatione significas, scire debes, jure domini id nullum vindicare posse: sed si familiare 7 fuit, jus ejus ad omnes heredes pertinere, nec divisione ad unum heredem redigi potuisse. Profana tamen loca, quæ circa 8 id sunt, si semper vicinis ædificiis usui hominum destinatis cesserint, ejus sunt, cui illa, quorum partes esse visæ sunt, ex divisione obtigerunt. PP. vi. Non. Nov. MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

De voluntate defuncti servanda.

5. Idem A. Cassio militi.

Militis voluntatem, quam circa monumentum sibi faciendum testamentum expressit, & pater, & mater ejus heredes negligere non debent. Nam etsi delatio hoc nomine præteritis 9 constitutionibus amota est: invidiam tamen, & conscientiam circa omnium supremum ejusmodi officium, & contemptum iudicium defuncti, evitare non possunt. PP. viii. Kal. Maji, JULIANO & CRISPINO COSS. 225.

De inscriptionibus monumentorum. De longi temporis præscriptione.

6. Idem A. Primitivo & aliis.

Monumentorum inscriptiones 10, neque sepulcrorum jura, neque dominium loci puri ad libertos transferent. Præscriptio 11 autem longi temporis, si justam causam initio habuit, vobis proficiet. PP. viii. Kal. Jul. JULIANO & CRISPINO COSS. 225.

(8. Fac. l. ult. sup. de episc. aud. (9. l. 2. sup. h. t. (10. Adde l. 1. ff. eod. (11. l. 1. l. 2. sup. eod. (12. Nov. 77. c. 1. §. 1.

TIT. XLIV. (1 Lib. 11. D. 7. (2. l. 14. inf. h. t. (3. l. 2. ff. eod. §. 9. Inst. de rer. divis. l. 5. §. 4. ff. de divis. rer. (4. §. ult. Inst. de emt. vendit. arg. l. 6. §. 2. ff. de divis. rer. adde l. 14. inf. de legat. l. 9. inf. h. t. (5. l. 12. §. 2. ff. eod. (6. l. 2. §. 6. ff. eod. (7. l. 5. ff. eod. (8. l. 9. inf. l. 2. §. 5. ff. eod. (9. l. 5. inf. quib. ut indig. (10 l. 6. vers. libert. ff. h. t. vide tamen l. 27. ff. de condit. & demonstr. l. 10. ff. de probat. (11. l. 4. ff. de mortuo,

*De statu & ornamentis.*

7. Imp. GORDIANUS A. Claudio.

**S**tatuas sepulcro superimponere, vel monumento, quod (a te) exstructum profiteris, ornamenta, quæ putas, superaddere non prohiberis: cum jure suo eorum, quæ minus prohibita sunt, unicuique facultas libera non denegetur. PP. III. Kal. Aug. GORDIANO A. II. & POMPEJANO COSS. 242.

*De jure familiarium sepulcrorum.*

8. Imp. PHILIPPUS A. Julia.

**J**us familiarium 12. sepulcrorum ad affines, seu proximos cognatos non heredes institutos minime pertinet. PP. XVI. Kal. Jul. PEREGRINO & ÆMILIANO COSS. 245.

*De venditione.*

9. Idem A. &amp; Philippus C. Faustina.

**L**ocum quidem religiosum distrahi non posse 13, manifestum est: verum agrum 14 purum monumento coherentem 15 profani juris esse, ideoque efficaciter venundari, non est opinionis incertæ. PP. VI. Kalend. Dec. PHILIPPO A. & TITIANO COSS. 246.

*De translatione corporis.*

10. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC.

*Aquiliana.*

**S**i necdum perpetuæ 16 sepulturæ corpus traditum est: translationem ejus facere non prohiberis. PP. VIII. Id. Febr. DIOCLEFIANO IV. & MAXIMIANO III. AA. COSS. 290.

*De supplicio affectis.*

11. Idem AA. &amp; CC. Gaudentio.

**O**bnosios criminum 17 digno supplicio subjectos, sepulturæ tradi non vetamus. PP. VIII. Id. Apr. ipsas IV. & III. AA. COSS. 290.

*Ne reliquæ intra civitatem condantur.*

12. Idem AA. &amp; CC. Victorino.

**M**ortuorum reliquias, ne sanctum municipiorum jus polluantur, intra civitatem 18 condi, jampridem vetitum est. PP. III. Kal. Oct. ipsas IV. & III. AA. COSS. 290.

*Collatio sepulcri familiaris, & hereditarii.*

13. Idem AA. &amp; CC. Dionysio.

**J**us sepulcri tam familiaris 19, quam hereditarii 20, ad extraneos etiam heredes: familiaris autem ad familiam, etiam si nullus ex ea heres sit, non etiam ad alium quemquam, qui non est heres, pertinere potest. S. III. Id. Nov. Sirmii, CC. COSS. 294.

*De translatione reliquiarum.*

14. Imp. VALENT. THEOD. &amp; ARCAD. AAA.

*Cynegio P. P.*

**N**emo humanum corpus ad alium locum (sine Augusti 21 affectibus) transferat. Dat. III. Kal. Mart. Constantinop. HONORIO NOBILI PUERO & EVODIO COSS. 386.

*In solo Aureiani libro manuscr. notatur, hic deesse Græcam Constitutionem, quam ex Basilicis edidit Cujac.*

lib. 11. observ. cap. 21.

15. \*

**I**n nullo quopiam loco vestigal 22 ab aliqua persona pro corporibus ex uno in alium locum translatis præstetur.

(12. l. 5. l. 6. vers. liberis. ff. h. t. (13. l. 2. in fin. sup. cod. (14. v. l. 2. §. 4. ff. eod. (15. l. 4. vers. profana. sup. eod. (16. l. 40. ff. eod.

(17. v. l. ff. de cadaver. pun. (18. l. 3. §. 5. ff. de sepulc. viol. (19. l. 5. ff. eod. (20. d. l. 5. l. 6. ff. eod. (21. l. 3. pr. ff. eod. excip. cal. l. 40. ff. l. 10. sup. eod. (22. Vide tamen l. 37. ff. eod.

## LIBER QUARTUS.

## TIT. I.

## DE REBUS CREDITIS I, ET JUREJURANDO. 2

*An causa retractari possit perjurii prætextu.*

1. Imp. ANTONINUS A. Herculiano.

**C**ausa jurejurando ex consensu utriusque partis, vel adversario inferente, delato & præstito, vel remisso decisa: nec perjurii prætextu retractari potest: nisi specialiter 3 hoc lege excipiatur. PP. XV. Kal. Jul. ANTONINO A. IV. & BALBINO COSS. 224.

*Perjurio pœna quando imponatur.*

2. Imp. ALEX. A. Felici.

**J**urisjurandi contempta religio satis 4 Deum ultorem habet. Periculum autem corporis, vel Majestatis crimen secundum constituta Divorum Parentum meorum, et si per Principis 5 venerationem quodam calore fuerit pejeratum, inferri non placet. PP. VI. Kal. Apr. MAXIMO II. & ÆLIANO COSS. 224.

*De inopia probationum.*

3. Imp. DIOCLET. &amp; MAXIM. AA. &amp; CC. Severæ.

**I**n bonæ fidei contractibus, necnon (etiam) in ceteris causis, inopia probationum, per judicem 7 jurejurando causa cognita res decidit oportet. PP. X. Kal. Sept. MAXIMO II. & AQUILINO COSS. 286.

*De tutela actione.*

4. Idem AA. &amp; CC. Maximæ.

**S**i ad excludendam tutelæ actionem pupillus 8 jusjurandum tutori detulerit, postea eandem litem exercere non prohibetur. PP. Kal. Jul. ipsas IV. & III. AA. COSS. 290.

*De fideicommissis.*

5. Idem AA. &amp; CC. Juliano.

**C**um etiam a pupillorum tutoribus 9, velut ab ipsis pupillis relicta fideicommissa videantur, super fideicommissis Præses provinciæ cognoscet: &, si id tibi relictum esse constiterit, reddi tibi

efficiet. Idem, si inficietur, ad jusjurandum (ut desideras) tutorem adiget. PP. IV. Kal. Dec. ipsas IV. & III. AA. COSS. 290.

*De generis & ingenuitatis questione.*

6. Idem AA. &amp; CC. Bessio.

**C**um proponas partibus placuisse, jurisjurandi religione, generis & ingenuitatis questionem decidi 10: Præses provinciæ juxta decretum arbitri ad voluntatis vestræ placitum amittit tuæ filiis consulat. PP. V. Id. Febr. TIBERIANO & DIONE COSS. 291.

*Ne alteri per alterum præjudicetur.*

7. Idem AA. &amp; CC. Euthychianæ.

**N**ec filius 11, nec quisquam alius 12, nec litigando, nec paciscendo, sed neque jusjurandum citra voluntatem dominæ rei deferendo, præjudicium ei facere potest. Unde si citra mandatum tuum aliquid erga rem tuam filius tuus gessit, nec hoc ratum habuisti, nihil tibi oberit. S. Id. Nov. AA. & COSS. 293.

*De actione & jurejurando actoris.*

8. Idem AA. &amp; CC. Alexandro.

**A**ctori delato, vel relato jurejurando, si juraverit, vel ei remisum 13 sit sacramentum, ad similitudinem judicati in factum actio competit. S. XII. Kal. Maji, CC. COSS. 294.

*De conditione jurisjurandi reo delata.*

9. Idem AA. &amp; CC. Martiano.

**D**elata conditione jurisjurandi, reus (si non per actorem, quominus de calumnia juret 14, steterit) per judicem solvere 15, vel jurare, nisi referat 16 jusjurandum, necesse habet. S. V. Kal. Maji, Sirmii, AA. COSS. 299.

*De deposito.*

10. Idem AA. &amp; CC. Protogeni.

**I**n actione 17 etiam depositi, quæ super rebus quasi sine scriptis datis movetur, jusjurandum ad exemplum ceterorum bonæ 18 fidei judiciorum deferri potest. S. V. Kalend. Decembr. CC. COSS. 300.

TIT. I. (1. Lib. 12. D. 1. (2. Lib. 12. D. 2. §. 4. Inst. de except. (3. v. l. ult. inf. h. t. l. 31. ff. de jurejur. l. ult. ff. qui satisfacere cog. (4. Vide tamen l. ult. ff. stellionatus. (5. l. 13. in fin. ff. de jurejur. l. 41. sup. de transact. (6. v. l. 5. ff. de in lit. jur. (7. l. 31. ff. de jurejur. (8. l. 17. §. 1. ff. d. t. (9. l. 20. inf. de fideicom. l. 69. §. 2. ff. de legat. 2,

(10. v. l. 2. in fin. sup. de pedan. judic. (11. l. 4. infr. si alien. rei pign. (12. l. 3. §. 3. in fin. ff. de jurejur. (13. l. 1. sup. h. t. (14. v. l. 34. §. 4. l. 37. ff. de jurejur. (15. d. l. 34. §. 6. (16. d. l. 34. §. 7. (17. Adde l. 4. sup. ad exhib. (18. l. 3. sup. h. t.